E. M. Holmes

SYSTEMA

MATERIAE MEDICAE

VEGETABILIS

BRASILIENSIS.

Rerum Natura Sacra sua non simul tradit, nec arcana ejusdem promiscue, nec omnibus patent, reducta sunt, et in interiori sacrario clausa, ex quibus aliud haec aetas, aliud postera accipit et depromit. SENECA, Quaest. Natur. L. VII. §. 31.

SYSTEMA

MATERIAE MEDICAE

VEGETABILIS

BRASILIENSIS.

COMPOSUIT

CAR. FRID. PHIL. DE MARTIUS.

LIPSIAE,
APUD FRID. FLEISCHER.

VINDOBONAE,
APUD FRID. BECK IN COMM.

1843.

VIRO PERILLUSTRI

PHIL. FRANC. A WALTHER

REG. BAVAR. A CONSIL. INTIM. ET ARCHIATRO
IN UNIV. LUDOV. MAXIM. CHIRURG. PROF. P. O.
ACAD. MONAC. SOC. ORD. MULT. ORDIN. COMM. EQU.
MULT. ACADD. ET SOCC. LITT. SOD.

DE OCTO LUSTRIS

IN PUBLICO MUNERE FIDELITER FORTITER FELICITER
PERACTIS

GRATULATUR

AUCTOR.

Ἰατρὸν θεοειδῆ dixit Hippocrates; id qua ratione fecerit nemo non intelligit. Nam uti scientia medica aliquid habet divini, ita ipsa medici persona sancta est et venerabilis, quippe qui et aegrotanti auxilio et circumstantibus solatio esse solet et velut numen de coelo delatum afflictis parentem, uxorem, filium, sororem, amicum, conclamatos jam et paene perditos restituit. Quid vero vita est pretiosius? Quid divinius quam homines servare?

Itaque Te quoque, vir summe, Te *ἰατρὸν θεοειδῆ*, Te egregium juventutis doctorem, insignem hodiernae chirurgiae statorem, splendidum medicinae germanicae sidus, magna hoc festo die circumdat gratissimorum hominum turba, pro praeclaris Tuis meritis per octo lustra patriae, civibus et studiosae cohorti collatis, Tibi nunc optima

quaeque votis nuncupans. Noli autem mirari, me quoque huic agmini esse adjunctum, sed me iis accense, qui se TIBI addictos sentiunt. Accipe benevolo, quo soles, animo, hoc quidquid est munusculi, quod et TIBI meae in TE pietatis documentum et studiosis utilitati esse cupio.

Monachii, d. 23. Maji, summi Linnaei natali.

C. F. PH. DE MARTIUS.

PRAEFATIO.

In componendo hoc libello plura fuerunt, quae mihi videbantur esse respicienda. Primum enim id volebam efficere, ut omnis omnino plantarum officinalium congesta esset copia, quas Brasiliae esse mihi innotuerat. In qua re eas modo plantas, paucas si exceperis, allegandas putabam, quas ipse et videram et inquisiveram; quum parum interesset, ut incerta atque ambigua proferrem, eas potius plantas enumerando, quae scite recognitae et in systema conceptae inter partes materiae medicae vegetabilis apparent, quatenus medicis usu experientiaque sunt comprobatae. Tum id spectabam, ut virtutes commemorarem pharmaco-dynamicas, quibus illae plantae aut, quas continent, substantiae insignes sunt, aut morbos, in quibus sunt usu cognitae. Ob hanc medicam istarum plantarum efficientiam

abs re visum est, eas ratione chemica distribuere easque pro substantiis, quae aut in ipsis aut in partibus illarum aut in extractis praepollent, vulgaribus subjungere ordinibus, qui in materia medica feruntur solemnes. Haec quasi capita deinde denuo divisa sunt, ut quodque elementum praepollens cum aliis particulis copulatum cernitur. In qua re non praeteribit lectorem, me praepositis mitibus et quasi indifferentibus substantiis ad eas progressum esse, quae majorem et validiorem in organismum vim exercent. Tertio loco methodi, quam Botanici naturalem dicunt, rationes adhibui, stirpes chemica constitutione affines secundum ordines naturales dispescendo, propterea quod unius ejusdemque ordinis plantae plerumque etiam virtutibus pharmacodynamicis aut congeneres sunt aut analogae.

Saepius quidem, quae hic facta est divisio chemica, molestias exhibuit, quum major pars Brasilianarum plantarum medicarum nondum a chemicis sit inquisita. Verum et eas analyses in usum meum converti, quae a chemicis editae mihi innotuerant et grata suppeditamenta fratris, Theodori Martii, in universitate Erlangensi Pharm. Prof., qui plures a me traditas plantas Brasiliae chemice dissolverat atque etiam in praesentia hisce rebus occupatus est.

Quodsi, quid hac compositione effectum sit atque apertum, rogitaveris, haud plane contemnendum illud invenies. Nam ne dicam de magna plantarum multitudine, quae propter medicum per Brasiliam usum hic laudandae fuerunt. illae cunctae diversissimas prae se ferunt virtutes pharmaco-

dynamicas. Etenim paucis quibusdam exceptis substantiis, uti Opio, Atropa, Belladonna, Aconito etc., propemodum omnia vegetabilium validiora medicamina in Brasiliensi Flora medica sunt repraesentata, ut amplum istud imperium, naturae benignitate adeo exornatum, propter ubertatem medicaminum ne in hac quidem ratione ex Europa multa debeat importare. Unde integrum systema efficientiae pharmacodynamicae ex his plantis, quas explanavimus, potest constitui. Quam rationem ut claram perspicuamque redderem, inter Europaeas plantas medicas easdemque Brasilienses tabulam velut concordem studui exhibere; in quo sane est quod moneam, me, ubi non possem easdem plantas aut plantarum substantias in utraque schedula ponere, ibi sola analogia esse ductum; perfecta enim efficientiarum similitudo non exstat, maxime in medicaminibus, quae sua natura singulari modo eminent. In illa tabula plura etiam propterea dubitationi obnoxia videantur, quod uti chemicae analyses ita accuratae desunt clinicae observationes, quo modo unumquodque principium in certa organismi systemata sese habeat, quae res nonnisi cauta, libera ac diligenti Brasilianorum medicorum arte poterit ab omnibns partibus absolvi.

Plerique medici Europaei, qui hodie id agunt, ut apparatum medicum angustioribus in diem medicaminum terminis circumscribant, auctis vegetabilium remediis haud ita vehementer afficientur nec de alia re, quam quod scientiae sit incrementum, hosce thesauros aestimabunt. Secus est in Brasilia. Ibi adacti sunt medici, ut illa vegetabilium remedia, quae ex Europa aut non importantur aut

saepe parum accommodata paribus e domestica Flora depromtis recompensent, illisque hoc primum tentamen juxta ponendi harum terrarum plantas medicas etiam ad communem usum aliquid posse conferre probabile est. Iis relictum erit, ut ex omni multitudine seligant eas, quas in pharmacopoeam Brasiliensem recipi par est.

Quod tertium in opusculo hoc conscribendo adtendi, erat, ut systematicae Brasiliensium plantarum medicarum inquisitioni novum subjungerem additamentum. Namque in immensis Brasiliensis Florae divitiis ut omnes ibi inventae plantae uno opere complectantur, non ita facile fieri potest; nihilo minus una cum Steph. Endlichero meo pro virili parte id meditor, ut universalis illa Flora, auxiliantibus quibusdam egregiis botanicis, in lucem proferatur; at illud opus*) sua natura lente procedat necesse est. Idcirco concinnum visum est, hocce libello certe nomina plantarum Brasiliae officinalium fixo loco statuere. Earum major numerus jam a diversis auctoribus et prioris et recentioris aetatis descriptus est, aliae ea parte Florae Brasiliensis erunt explanandae depingendaeque, quam inscriptam „Plantae medicae et oeconomicae Brasiliae" edendam curo, cu-

---

*) Ita inscriptum prodiit: Flora Brasiliensis s. Enumeratio plantarum in Brasilia hactenus detectarum quas cura Musei C. R. Pal. Vindobonensis suis aliorumque Botanicorum studiis descriptas et methodo naturali digestas sub auspiciis Ferdinandi I. Austriae Imperatoris et Ludovici I. Bavariae Regis ediderunt Stephanus Endlicher et Carol. F. Ph. de Martius. Continet primo fasciculo: Muscos ex ed. Hornschuchii, et Lycopodiaceas Springii; altero Anonaceas Martii; tertio Cyperaceas Neesii ab Esenbeck et Smilaceas ac Dioscoreas Grisebachii.

jus tabulae lithographicae jam sunt absolutae. Has plantas nondum explicitas, sicuti simplicia ab iis ducta, systematico more ample describere ab hoc libello, majoris operis prodromo, alienum fuit.

In scriptis Pisonis et Marcgravii largam plantarum multitudinem veris et fictis viribus ornatam legimus, sed in his ipsis botanicae crisi multa restant dijudicanda. Multis annis praeclaros illos libros agili manu verso et confero, quae ibi dicta sunt ac tabulis picta, ut plantis Pisonianis et Marcgravianis commentarium subjiciam. In qua re ut nullo auxilio egerem, humanitate virorum amicissimorum Ehrenbergii et Schlechtendalii licuit mihi recipere bene pictas effigies tabularum libri Principis, i. e. collectionis Originalium, quae a Pisone e Brasilia allata nunc in Regia bibliotheca Berolinensi conservantur. *) Illa Pisonis et Marcgravii opera recte censere beneque dijudicare haud facile est negotium, cui multum uti temporis ita constantiae impendendum est, neque id poterit justo sentire, nisi qui ipse in simili conditione sudaverit. Ut autem, quae inveneram, certo loco ponerem, consentaneum duxi, utrumque opus in editionibus (I. Pisonis a. 1648. II. a. 1658. et Marcgravii a. 1648) accurate citare. Qui meas definitiones cum iis conferet, quas Curt. Sprengel edidit in Historia rei herbariae, me non aliena auctoritate, sed meo esse ductum studio facile sibi persuadebit.

*) Cf. quae de hujus libri fatis memorata sunt a cl. Lichtensteinio, in commentario de Marcgravii Zoologia Brasiliensi. Act. Acad. Reg. Berolinens. 1814. 1815. p. 201 sqq.

Praeterea non neglexi, plantas huc pertinentes e magna Flora Fluminensi seduli Mariani a Conceptione Velloso diligenter allegare, si quidem de nomine plantarum depictarum nihil ambigebatur.

Ex reliquis scriptis hic nonnisi pauca quaedam laudavi, quum nequaquam in animo esset, ut historiam litterariam de Brasiliensibus plantis medicis agentem integram hic comprehenderem; illud ea parte Florae Brasiliensis, quam supra memoravi, mihi reservandum existumavi, ad quam, perfecto opere de Palmarum historia, denuo vires meas convertam.

Denique illos viros, quorum est de hoc libello facere judicium, ut magnae difficultatis molestiarumque, quas secum tulit, memores benigne in illum animadvertant, rogatos velim.

DE MATERIA MEDICA VEGETABILI BRASILIAE IN UNIVERSUM AGITUR.

Nostris temporibus medicina longe alia via incedit, quam antea, quum medicorum permagni intererat, ut ex apparatu largissimo quam plurima depromere possent medicamenta; hodie enim, neglecta medicamentorum varietate, maxime simplicium e regno vegetabili, illa multo pauciora nec tam primitivo suo habitu, quo in vegetabilibus insunt, adhibentur, quam chemica arte elicita et contracta; atque medici quum potius corporis humani naturam historiamque, quantum morbo organum quoddam versum sit ejusque chemicae et morphologicae rationes mutatae, studeant accurate inquirere, minorem desiderant remediorum numerum, quam prioris aevi homines. Illi igitur quum mutationes morbis adductas ad universales organismi motiones (processus dicunt, quia omnes materiae organicae evolutiones certis temporum momentis procedere compertum est) coërceant, hunc pariter paucis et simplicibus medicamentis, quorum efficientia in illis rationibus comprobata est, ad sanitatem convertere volunt. Quodsi verum est, varia et composita remedia jure omitti, quae aut ambigua incertaque habentur in usu aut alio eoque meliore restituuntur, omnes confitebuntur, hac parte artem practicam medicorum multum profecisse.

Nihilo minus vix quisquam me condemnandum esse existimabit, qui profitear, etiam hanc speciem medicinae, quae diligenti nosologiae studio atque simplicitate in praescribendis medicaminibus eminet, esse tantummodo viam ad illam periodum, qua una cum acri nosologia et

cum certi morbi concisa examinatione, specie ejus stricte discissa, magnus medicaminum numerus praesto erit medico, ut, quod omnibus indicationibus maxime in praesenti respondeat, id ipsum eligat. Ut paucis dicam, equidem non diffido, progressu medicinae ipsius etiam doctrinam *specificorum medicamentorum*, quantum polleant in certis arcteque circumscriptis morborum speciebus et formis, magis in diem firmatum iri et constitutum.

Ad eam medicinae aetatem omnes ii plus minus quasi praeparando conferent, qui multa ac varia congerunt et componunt naturalia corpora, quorum vires in affectum organismum sunt usu cognitae; atque hac ratione hunc quoque libellum velim in medio collocatum, quo id potissimum efficiatur, ut medici oculos advertant ad ejus terrae largas pharmacorum divitias, quae sub beatissimo coelo sita multos certe includit naturae thesauros, qui nobis orbis terrarum dominis bono salutique esse debeant.

Ad sanationis efficientiam, quae hic memorata sunt vegetabilia, diverso pretio censenda sunt. Alia tam singulari mixtione sunt atque mox adeo pro validis agentiis offeruntur sensibus, ut de eorum salubri efficientia nullo modo possit ambigi. Alia, et ea plura esse par est, non ita eminent proprietate quadam nec tamen in universali recensione possunt ablegari, quia efficientia eorum spectata est usu medicorum, quibus fides est haud deneganda. Alia denique sunt, quae vocantur remedia domestica, eorumque vires continua solum fama ab incolis creduntur. Ea hic quoque enumerare haud ineptum duxi, quia et virtutes eorum fere semper ex analogia aliorum cognatorum accipiendae sunt et ipsa, id quod verbis scriptisque indigenarum compertum habeo, aliis absentibus, saepenumero inter copiam medicam relata aut a medicis imperantur aut a pharmacopolis pro aliis remediis substituuntur.

Quum consideramus, scientiam materiae medicae etiam in Brasilia utique ex iis tantum posse prodire, quae in vetere orbi comperta firmataque sunt, multos vero Brasiliae medicos, hanc artem in Europa doctos, ibi se videre privatos multis remediis, quae in Europa contra certos morbos solebant adhibere, atque potissimum inter raros interiorum partium incolas, quibus nemo adest scientia eruditus me-

dicus, saepe advocari privatorum auxilium aut medicinae amatorum, qui secuti praecepta tradita et pro naturali hominum impetu similia vel analoga scrutandi, remedia a proxima natura ipsis oblata colligunt — tunc nemo negabit, fieri non potuisse quin domestica illa remedia etiam in vulgari medicamentorum copia locum adipiscerentur. Simul vero erudito medico relictum est, ut cogitando ac maxime analogiae praeceptis bene obsequendo pariter atque accuratis postea examinibus remedia segreget, prae ceteris digna, quae pro veris officinalibus pharmacis codici medicamentario Brasiliensi inserantur, aptis rationibus colligantur, conserventur legeque artis in officinis dispensentur.

De qua re quae adhuc comperi, me adduxerunt, ut talem conditionem, quae scientiae et reipublicae dignitati respondeat, adhuc longe ibi abesse credam. Latis enim terrae finibus atque mira Florae diversitate ut in singulis provinciis omnes in Brasilia crescentes colligantur plantae, quae efficacia praepollent, fieri nequit. Itaque norma certa erit substituenda atque uniuscujusque provinciae officinis eae plantae indicandae, quae in ipsa inveniuntur aeque ac quae aliunde sunt importandae.

Sed quum perdifficile sit, ita distribuere singula et quae aliena sunt domesticis explere, Brasiliani medici, qui bene illud sentiant, eo se convertunt, ut saepe a vegetabilibus simplicibus quantum fieri potest, sese abstineant et contra praecipue chemicalia praescribant. Unde etiam id videtur evenire, ut saepe composita remedia, quae magnis molibus praeparata ex Anglia et Francogallia afferuntur, loco domesticorum, minus vehementium et pretiosorum medicaminum indicentur. Hanc vero medicamentorum, quorum nec compositio nec efficientia satis est nota, advocationem minime congruere cum artis ingenio, non est quod pluribus demonstremus.

Cuncta pharmacorum copia Brasiliensis, quam hic obtuli medicis, e diversis fontibus est depromta, quos ipsos diligentius paulo inspicere non abs re videatur.

Complures harum plantarum jam Aborigines Brasiliae ob medicas virtutes et cognoverunt et adhibuerunt, uti genuinam et spurias species *Ipecacuanhae*, *Contrayervam*, *Spigeliam*, *Copaivae* balsamum, *Elemi* gummi, *Jatahy* resinam ex *Hymenaeae* speciebus, semina *An-*

dae, Iatrophae Curcas, Rocou (*Bixae Orellanae*). Harum plantarum officinalium historia aeque latet atque Americanarum utilium, *Zeae Maidos*, *Musae paradisiacae*, *Crescentiae Cujete*, *Manihot utilissimae*, *Gossypii vitifolii*, *Theobromatos Cacao*, *Arachidos hypogaeae* &c. Evanescit illa in mythica horum barbarorum memoria. Nequit pronuntiari, ubi et quomodo ulla earum primo sit adhibita, qui ex una regione, patrio solo, latius diffusa, quae pharmacodynamica virtus, si quas diversas continent, prima in usum vocata aut in quibus morbis. Ab Indianis ipsis parum de his rebus exquisivimus. Solent esse aut senes aut rarius ani quaedam, qui medici partes agunt sed obscurae traditioni obnoxii. Uti omnis reliqua horum barborum vita publica ac privata, ita exigua quam habent medicaminum scientia, documento est, eos reliquias esse generis olim cultioris et florentis, et pari modo doctrinam medicam prioris sapientiae ad naturam accommodatae miserum fragmentum. Lusitani coloni et brevi eo tempore, quo Piso et Marcgravius in Brasilia versabantur, Batavi ab his medicastris (*Curadeiros*) accepere horum remediorum usum eaque plus minus caute adhibuere. Plurima pro domesticis modo etiamnunc valent, aliquot vero, uti illa quae supra memoravi, sensim in manus medicorum transiere atque partim in Europaeam pharmacopoeam sese insinuarunt.

Inter haec primaeva medicamenta licet dignoscere ea, quorum patria jam ignoratur et ea, quae hoc quoque tempore silvestria inveniuntur. Prioribus adscribenda, ut pauca allegem, *Zea Mais*, *Theobroma Cacao*, *Capsicum annuum*, *frutescens* et alia, *Jatropha Curcas*, *Carica Papaya*, *Lagenaria vulgaris* et forsitan *Anacardium occidentale*, quippe quae arbor, pariter atque illae, non tam silvestris quam efferata appareat. Hae plantae et aliae, quas hic de industria omitto, homini cernuntur amicae, semper in vicinia domiciliorum, nec vero est dissimile, eas omnibus obscuris affectas esse motibus quibus Americae populi sunt perculsi, etiamsi hodie eos indagare nobis haud liceat. Quae plantae medicae et utiles nescio an e remotissimis plagis immigraverint. Secus est in pluribus medicis plantis, quae hodie nonnisi silvestres sese offerunt, et quarum complures, uti *Caesalpinia echinata*, ex qua genuinum lignum Brasilum nanciscimur, aut *Cephaëlis Ipecacuanha*, ex qua oritur vera Brasiliensis radix vomitiva, mercaturae

commerciique praedationibus rariores in dies fiunt, quin prorsus extingui possint. Plurimae quas in tabulis apposui plantae medicae Indianorum gentibus erant notae, quae aliquot ante seculis ad majorem partem orae maritimae considentes magni populi disjecta membra possunt haberi, qui vocari solet Tupi. Appellationes Indianae, quibus medicae plantae Brasiliae nominantur, maximam partem e lingua hujus Tupi populi sunt excerptae, sed ob variam dialectorum naturam et diversam colonorum, qua reddebant vocabula, rationem inter sese valde discrepant. Ea nomina multa sunt composita atque verba: *Uba* vel *Üva*, arbor, *Caá*, herba, *Jetica*, tuber, *Sipo* vel *Cepó* radix, sarmentum, quae hic frequenter inveniuntur, ad originem Tupi nos reducunt.

At valde fallerentur, qui putarent, Brasiliae plantas medicas omnes per autochthones colonis esse oblatas; potius multa me movent, ut dicam, totidem, quae nunc adhibentur, a nigris et albis incolis esse detectas et usu cognitas, quot ab illis. Coloni Lusitani, loco domesticarum apud ipsos plantarum medicarum alias ut quaererent coacti, illis sufficientes, in ea re maxime analogia externa, forma, colore, odore, sapore ducebantur atque novas plantas antiquis nominibus ornabant Sic plantam alatis caulibus *Baccharida tripteram* vocarunt *Carqueja*, comparata domestica *Genista tridentata*; *Barbasco* herbam tomentosam (*Buddlejam Brasiliensem*); porro *Alecrim*, *Baccharida ochraceam*, cui est similitudo foliorum cum *Rosmarino officin.*; *Centauream*, herbam amaram, (*Callopisma*), ob similitudinem cum *Erythraea Centaurio*; *Feto macho* complures *Nephrodio filici mari* similes filices; *Malvaisco* aliquot *Althaeae officinali* congruentes Malvaceas; *Murta* multa Myrtacearum; *Poejo*, *Menthae Pulegio* forma cognatam Labiatam, *Cunilam microcephalam*; *Mangerona Glechon spatulatum*, ibi *Origano majorana* representatum; *Salvam Lippiam citratam* foliis *Salviae* assimilem; *Picão Bidentem pilosam* ob similitudinem cum *Bidente frondosa*; *Aroeira*, quo nomine in Hispania *Pistacia Lentiscus* insignitur, in Brasilia significat plures species cognati generis *Schini* etc.

Longior horum colonorum cum natura consuetudo et quasi familiaritas non potuit non sensus eorum acuere, ut magis magisque cognata et analoga e magna rerum copia et eligerent et adhiberent, amissis quae in Europa possederant. Maximam vero collocabant

2

operam incolae provinciae S. Pauli, qui multi interiora terrae petebant, aut ut captos Indianos in servitutem abducerent aut ut aurum et gemmas detegerent. Continuo cum naturae ferocitate pugnantes, quae nihil ultro porrigeret, et quotidianis periculis circumventi audacia quadam in tentando medendoque utebantur, unde mox certas experientias nanciscerentur necesse erat, quae deinde a paucis medicis chirurgisque acceptae sunt et ampliatae. Hosce Paulistas vel ducibus bestiis quaedam medicamina cognovisse relatum est, imitantes scilicet bestiarum appetitum; idcirco *Adenoropium opiferum* vocatur *Raiz de Tihu*, quia magnae lacertae (Ameiva) radices petunt, *Drimys granatensis Casca d'Anta*, quia Tapirus americanus corticem fertur arrodere quum aegrescit. Ob felices hos eventus etiam hac aetate incolae provinciae S. Pauli peritissimi censentur esse naturae medicaminum, et multa remedia ab iis *Remedio dos Paulistas* appellantur.

Jam vero id quoque monendum est, jam a primis post detectam Brasiliam temporibus magnum intercessisse cum India orientali commercium, in qua terra vigebat tunc Lusitanorum imperium, quo factum est, ut multi Lusitani, quam paraverant sibi plantarum medicaminumque cognitionem, eam transferrent in Brasiliam atque stirpibus brasiliensibus, quae Indianis externa specie erant assimiles, eamdem attribuerent efficientiam. Quum memineris, quanta plantarum multitudo a Braminis habeatur salubris, qui fere singulis singularem adscribunt virtutem, cujus rei testimonio est Rheedi hortus malabaricus, eo minus videtur mirandum, hanc regulam etiam in novum orbem esse transportatam, ut unicuique plantae aliqua virtute insigni certa quaedam ad corpus humanum ejusque partes ratio adtribueretur. Hoc igitur apud Arabes inventum systema signaturae, quod schola Salernitana excoluerat, hic lubenter acceptum est.

Jam tum una alterave planta ex India in Brasiliam translata est, quae hodie inter domesticas habentur, uti e. g. *Aloë vulgaris*, *Lablab vulgaris*, *Ocimum Basilicum*, *Mangifera indica*, *Artocarpus integrifolia*.

Sed etiam ab alia parte, Flora Brasiliensis ejusque pharmacodynamis ut in lucem proferretur, potuit via monstrari. Etenim quum ex Africa quoque multi Aethiopes ad serviendum adducerentur atque plures Europaei, qui diu in Africa morati erant, hucce immigrarent, factum

est, ut similes plantae et utrique orbi una innatae, uti *Ageratum conyzoides*, *Waltheria americana*, *Tiaridium indicum*, *Cassia occidentalis*, in usum vocarentur et paucae quaedam aut consilio aut casu ex Africa importarentur. De illis denique sermonem non faciam, quae ex aliis novi orbis regionibus, e Peruvia (uti *Mirabilis dichotoma*), e Surinamo (*Quassia amara*), ex insulis antillanis (*Anona muricata* et *reticulata*), vel e Cayenna (*Cinnamomum zeylanicum var. γ.*) in Brasiliae imperium sunt importatae.

Omnibus his plantis in unum coactis integras quasi legiones prae se videt medicus paratas, quibus morborum impetus profliget; quin immo tot sunt medicaminum diversi gradus, ut non tam ob inopiam quam abundantiam, quid faciat, possit ambigere medicus. In Europa quidem, ut jam dictum est, multi medici tales copias medicamentorum haud ita magni aestimabunt, arbitrantes, virtutes plurimas magis fictas esse quam veras, idemque paucis posse effici: sed in Brasilia multos credo fore medicos, qui medicamentis a patria Flora oblatis optimam fidem habeant, propterea quod *horum remediorum multa beneficia ipsi cognoverunt* sibique persuaserunt, vel exiguas specie vires ad restituendam valetudinem cum optimo eventu adhiberi.

Hujus experientiae causas jam accuratius contemplemur. Primum videtur mihi in Brasilia eodem modo, quo in aliis calidioribus regionibus, ac praesertim, in quibus scientia non ita late patet nec ita magna in publica vita cepit incrementa, uti apud nos, affectum hominis corpus alio in universum modo adspici, atque a nostratibus solet. Rapidus morborum plurium progressus, qui mortem attulere — illud nostrum proverbium: „Heute roth, morgen todt" — pestilentiarum terribilis potestas — desiderium quietis ubi quis aegrescit, quia omnis vita velocius ac quasi ardentius promovetur, quam in nostro statu: haec omnia ibi bene perspecta singulari modo commutant morborum conditionem, uti in ipso homine aegrotante, ita in animis propinquorum ac familiarium. Ubi apud nos aliquis morbo correptus est, domo lectove retinetur, accersitur medicus et omnes confidunt, mox fore, ut, fabrica corporis denuo lege artis restituta, redeat valetudo. Non remittuntur sueta negotia ac deliciae, saepe ubi non verbis vetuit medicus, juxta medicamenta etiam quotidianos cibos potionesque capi

posse existimant, omnino corporis affectus habetur momentanea consuetudinis interruptio, quae plerumque sollertia medici facile queat removeri. Hoc plane alio modo se habet in Brasilia, praecipue in interiore parte, quae ab Europaeorum opinionibus moribusque est remotior. Aegrotus habetur pro *alio* homine, separatur ille a familia, secluditur quam maxime lux et omnis turba ab exteris timenda; curatur ut continuo quiescat, solus, cibi potusque abstinentissimus; cum anxietate omnis animi commotio cavetur, quin sunt gentes Indianae, quae ad virum aegrotantem non admittant feminam, maxime quae menstruaverit, quam rationem etiam Lusitani coloni secuti sunt, qui putant, ejusmodi cunni vicinitatem in morbis acutis et in veneficio esse quam maxime perniciosam! In tali apathica quiete et solitario secessu aegrotum tradunt medici medicaminum efficientiae, unde sequitur, ut vel infirmiora remedia majores reactiones provocent, quam ubi simul suetis incitamentis locus relictus est. Haud raro, quae debilissima videntur, tanta vi ac tanta efficaciae celeritate esse perspectum est, ut omnium admirationem excederet. Ipse ego haud semel testis fui, in morbis formidolosissimis tam admirabilem successisse sanationem In ratione, qua ibi tractantur aegrotantes, easdem opiniones praevalere. dixeris, quae inter antiquos populos, qui aegrum ab occultis daemonibus petitum putabant et has infestas hominibus vires removere studebant, ita ut aegrotum ab aliis segregatum dumtaxat manibus medici, utpote *sacerdotis*, committerent, eique cum pia reverentia fovendum traderent. Quamquam tale medicorum sacerdotium nec cum aucta eruditione nec cum tota nostratium vita publica conjungi potest, tamen plura, quae hodie in scientia medica prodiere, sicuti Homoeopathia et Hydropathia, manifestant, certa remedia, quibus in vulgari ratione nihil efficacitatis imputaveris, insignes commutationes apud aegrotum posse efficere, qui a multis consuetudinis illecebris abstractus, extrinsecus quam minime affectus, nutrimento parcissimo donatus, in medicamina a medico oblata insolenti agilitate agitat, quin absque medicina, non nisi libera regnante vi medicatrice naturae, omni expectatione celerius restituitur.

Verum non modo haec subjectiva est aegrotantis conditio, quae nonnulli medicamini majorem multo, quam opinamur, praebet efficien-

tiam, sed jure statuendum est, complura vegetabilium medicamenta eo vigore, quo in Brasilia fieri solet, adhibita, fortiora sese praestare, quam si multos menses aut adeo annos in capsulis cistisque officinae servata in auxilium vocantur. Sat multae Brasiliae plantae medicae in se continent oleum aethereum, et alias partes volatiles haud exiguo modo, si quidem sunt *recentes* et *virides;* in aliis est organicus quodammodo nexus, vivida conjunctio et partium, quae occulto vitae spiritu sunt perfusae, congruens harmonia, id quod earum vires in aegrotum corpus adauget. Haud me fugit, fore ut plures qui hoc lecturi sint, de hac superstitione ridentes mei portentis anxie haesitantis misereantur. Sed quae ego vidi, ipse vidi. Non obliviscar, ulcera maligna, quae jam plures menses doctorum medicorum operae restiterant, brevi spatio quadraginta octo horarum omnem mutasse naturam, postquam a simplici medicastro Indianae gentis viridibus herbis erant obligata. Ejusmodi curae cataplasmatis, lotionibus, balneis factae, ibi frequentissimae sunt, atque uti natura non alibi ob caloris vehementiam majores exanthematicas adducit affectiones, ita eadem multis remediis, quae cutis organum magnis reactionibus assuetum exercent, saepe affert fere incredibili velocitate sanationem. Etiam aliae hic intercedunt rationes, de quibus Europaeus medicus non solet cogitare, si quidem de usu viridium plantarum agitur. Nam certum deliberatumque est, materias, quae in plantis insunt salubris efficaciae, in his non semper nec pari semper quantitate inveniri. Alcaloidea, quae illae continent, inter incrementi periodos formantur atque mutata elementorum quantitatis ratione, quod pro insidente vitae principio certa lege fieri solet, invicem refinguntur aut transducuntur, uti in *Cinchonae* speciebus elementa, quae dicunt Cinchoninum, Chininum et Aricinum statis momentis aliud ex alio prodeunt. Simile quid etiam in *Echite Cururú* potui observare. Senex quidam Indianus, quem hoc remedio in Porto dos Miranhas ad Japurá fluvium utentem conspiciebam, mihi recepit, infusum frigide paratum certo conducturum esse in febrim gastricam sodalium meorum, quia lignum adhiberet caudicum, qui jam fructus ferrent, quum idem remedium prius adhibitum non suffecisset, utpote quod e florentibus virgultis decerptum fuisset. Id quod praedixerat eventu probatum est. Talia necesse est monere, ut ibi eadem diligentia ac

solertia rationes debeant dignosci et respici, in quibus plantae ad sanandum aptae colligantur, qua id apud nos usu venit, inter quos vel legibus colligendi tempora indicata sunt. Quodsi vel ineruditus Indianus tale statuere potuit discrimen, sane non est, quod hujus rudis empirismi praeceptis prorsus non obediamus, cui apparet subesse veteres traditiones, quas ultimas esse altioris et acrioris sapientiae reliquias jam supra dictum est.

Jam si naturam Brasiliae medicamentorum e regno vegetabili paulo accuratius intuemur, non praeterit, eam prorsus respondere Florae illius characteri. Materiae et medicamina eorum praecipue ordinum, qui universalibus legibus geographicae plantarum distributionis in Brasilia sunt frequentissimi, ibi larga repraesentantur, atque medicis variis gradibus et ordinibus sese offerunt. Sed eae materiae, quae potissimum in extratropicis plantarum ordinibus occurrunt, hic aut rariores sunt aut plane non repraesentatae. Eatenus maxime conspicua est inopia graminum cerealium, in Europa adeo cultorum, e quibus *Oryza* tantum et *Zea* in tropica plaga imperii seruntur; *Triticum, Hordeum, Secale, Avena* in extraneis modo maxime ad Notum pertinentibus provinciis nec in iis valde disseminata inveniuntur. Praeterea nomino familias ibi raro aut nusquam repraesentatas, Melanthaceas, Coniferas, Amentaceas, Thymelaeas, Chenopodeas, Borragineas, Amygdaleas, Roseas, Pomaceas, Ranunculaceas, Cruciferas, Fumariaceas, Umbelliferas, Caryophyllaceas et Ribesieas. Ob hancce penuriam Cerealium farina nutrimenti gratia necesse est commercio importetur. Item ibi non invenimus plus minus venenosas materias officinalium Melanthacearum, *Rad.* et *Sem. Colchici*, *Rad. Veratri albi*, medicamina e larga familia Amentacearum, uti *Corticem Salicis, Quercus, Gemmas Populi, Gallas, Styracem liquidam.* Remedia terebinthinam continentia, quae ex familia Coniferarum in septentrione vulgari accipimus, quia in Brasilia sola *Araucaria brasiliana* crescit, extractis ex aliis familiis compensanda sunt materiis. Tum cortices epispastici Thymaelearum, herbae mucilaginoso-salinae Borraginearum atque herbae oleraceae Chenopodearum et Cruciferarum aliarum plantis familiarum restituantur necesse est. Ericeae, quae nobis Europaeis *Herbam Pyrolae, Uvae Ursi, Ledi palustris, Rhododendri chrysanthi* &c. praestant, compluribus quidem in Brasilia generibus iisque speci-

erum copia insignibus repraesentantur, nec tamen mihi in praesentia innotuit, ibi illorum generum species a medicis usurpari; sed loco nostrarum herbarum diureticarum nonnullas *Gaylussacias* ac *Pernettias* adhiberi posse suspicor. Amygdaleae, e quibus *Prunum Laurocerasum, spinosam, Cerasum, Padum, Amygdalum communem* et alias inter officinales plantas Europaei enumerant, in Brasilia paucas modo species exhibent. Oleum vero, quod acidum hydrocyanicum dissolutum continet, nec exiguam partem in fructibus, corticibus foliisque Europaearum Amygdalearum explet, etiam in Brasilianis speciebus, licet minore modo extat. Roseae, Ribesieae, Fumariaceae, quae postremae nobis in *Fumaria officinali* nobile pharmacum praebent, a Flora Brasiliae alienae sunt. Papaveraceae, e quibus insigne Opium et Chelidonium trahimus, dumtaxat importata *Argemone mexicana* repraesentantur. Item Ranunculaceae, quae nobis in *Herba Pulsatillae nigricantis,* in *Radice Hellebori nigri,* in *Seminibus Nigellae* et *Staphisagriae* valida porrigunt medicamenta, atque Sileneae, e quibus apud nos *Radix Saponariae officinalis* in usu est, eae fere plane absunt in Brasilia. Maxime vero mirandum est, quod Umbelliferae, quarum aethereo-oleosa, carminativa semina, acris veneni herbas, excitantes gummiresinas adhibemus, sicuti antiscorbuticae Cruciferae adeo rarae Brasilianis sunt a natura donatae. Contra in calida illa terra magna aliarum plantarum copia eminet et numero specierum et viribus sanandi, inter quas laudo Convolvulaceas, Cucurbitaceas, Euphorbiaceas, Rutaceas, Myrtaceas, amplas classes Terebinthacearum et Leguminosarum, quae nobis affatim acrium, amarorum, resinosorum et aethereo-oleosorum remediorum offerunt, ne dicam frequentia mucilaginosa, pingui-oleosa, saccharina et acidula, quae in variis familiis adsunt. Sicuti ibi regnum vegetabile omnino multo uberius apparet, quam in regionibus extra tropas sitis, ita loco singularum Europaearum plantarum salubrium totum agmen invenitur aequis aut analogis viribus extructum. Praecipue vomitiva et purgativa et quae in systema lymphaticum exercent incidentia, dissolventia et plasticum processum emendantia, mira copia se offerunt.

Sed Brasiliae thesauros medicos oculis perlustrantes non debemus negligere, terram, quae eos continet, esse ingentis magnitudi is, nec ullam esse provinciam, in qua omnes illae plantae juxta inveniantur.

Est ideo manifestum, Brasiliae medicos, qui id agant, ut copiam vegetabilium medicam scientiae rationibus adaptent, ea debere respicere, quae per totam Brasiliam inveniantur et quae singulae provinciae proferant, quae non. In Pharmacopoea Brasiliensi juxta vulgares ubique plantas medicas eae ponendae erunt, quae in singulis tractibus sese restituunt; in optione vero earum, quae e patria ad usum medicum in alias imperii partes transmittendae sunt, maxime curandum erit, ut eae modo publici juris fiant, quae illaesis viribus sanandi possunt dimitti. Idem valebit de iis, quae ad complementum domestici apparatus medicaminum ex Europa importentur necesse erit. Utile hoc et civile opus nec facile nec brevi posse confici, sponte intelligitur. Nam si jam in comparatione Europaearum Pharmacopoearum magnam diversitatem deprehendimus, qua plantae officinis necessariae lege sunt praescriptae, magna in Brasilia ubertas plantarum medicarum facile docebit, ibi optionem vix omnium voluntati posse satisfacere. Talis electus nisi ex nuntiis prudentium medicorum et pharmacopolarum per omnes imperii partes non poterit bene recteque haberi. Nullum medicamen adoptandum foret, nisi quod accurata providorum hominum probatum est examinatione, quo id efficere velim, ut non traditiones medicinae domesticae et hominum ineruditorum artificia, sed sola scientiae experimenta singulorum medicaminum dignitatem constituant. In praesentia circumlatores, quos *Curadeiros* dicunt, permulta tentant, eaque non solum ruri, ubi rari sunt medici, verum etiam in urbibus. Quae res ab eruditis Brasiliae medicis et pharmacopolis pro magno impedimento ducitur, quo minus praxis medica ad certas regulas possit excoli; quo illud modo queat removeri, non hujus loci est decernere. At quam hic offero doctis hominibus Brasilianorum medicaminum collectionem, ea spero aliquantum me contulisse, ut meta illa quasi propius admota videatur oculis; cui opinioni quum unus alterve in Europa et Brasilia medicus noluerit refragari, satis mercedis me nactum esse credam pro opere, quod quidem gratum fuit, ob expectatam humano generi utilitatem, sed etiam haud exiguis molestiis conjunctum, quodque, paucis foliis coarctatum, multorum annorum fructuosa studia prodit.

Conspectus Systematis.

AMYLACEA.

GRAMINEAE.

Zea Mais L. *Milho grosso. Zaburro.*

Gabriel Soares de Souza Noticia do Brasil (in Collecçào de Noticias para a historia e geografia das naçoês ultramarinas etc. Tom. III. Lisb. 1825) 151. — *Uba-tim* i. e. gramen rostratum Tupinice. *Avaty* Thevet. 46, 113. Lery edit. 1586. 102. Marcgr. Lib. princ. 255. Nees ab Esenb. Agrostographia Bras. 311. et Mart. ibid. 554—559. Vell. Flor. Flum. X. t. 3.

Semina. — Per universam Brasiliam colitur. *Canjica* inde paratur.

Oryza *sativa* L. *Arroz* Lusitan.

Nees ab Esenb. Agrostogr. Bras. 518. Mart. ibid. 559—561.

Semina. In omni Brasilia culta.

Oryza subulata Nees ab Esenb. *Arroz do Mato*, *A. silvestre.*

Nees ab Esenb. l. c. 518. Mart. ibid. 561.

Cerealia europaea in provinciis versus austrum sitis coluntur, ideo in hunc elenchum recipiuntur, quae sequuntur:

Triticum vulgare Lam. Nees ab Esenb. l. c. 448.

α. aestivum L. *Trigo tremez.*

β. hibernum L. *Trigo candeal.*

Triticum durum Desf. Nees. l. c. 447. *Trigo durasio.*

Triticum spelta L. Nees l. c. 449.

Triticum amyleum Ser. Nees. l. c. 449. *Trigo branco.*

Secale cereale L. Nees l. c. 451. *Centeio.*
Hordeum distichon L. Nees l. c. 454. *Cevada sancta.*
Hordeum hexastichon L. Nees l. c. 455. *Cevada.*
Semina. Farina.

DIOSCOREAE.

Dioscorea. *Cará, Inhame de S. Thome etc.*
Tubera amylacea, cocta vel assata esculenta, omnino modo uti Solani tuberosi tubera adhibita.
Dioscorea sativa L. Grisebach in Endl. et Mart. Flora Bras. Dioscoreae 43.
Dioscorea heptaneura Vell. Flor. Flum. X. t. 124. *Cará* Piso I. 93, II. 255. Marcg. 29. Noticia do Brasil 149.
Dioscorea dodecaneura Vell. X. t. 123. Griseb. l. c. 39.
Dioscorea piperifolia Willd. Griseb. l. c. 27.
Dioscorea conferta Vell. Fl. Fl. X. t. 122?

ARACEAE.

Colocasia Antiquorum Schott. *Tayoba de S. Thomé.*
Arum Colocasia Vell. IX. t. 105. Piso I. 95, II. 236 fig. sinistra. Marcgr. 35.
Caladium Poecile Schott. et C. violaceum Desf. *Mangarâz. Taioba* II. v. *Mangara-peúna* Piso I. 95, II. 236, fig. dextra. Marcg. 36.
Caladium sagittifolium Vent. *Mangarito* Bras., *Mangara-mirim* Piso I. 95, II. 237. Marcg. 36.?

CONVOLVULACEAE.

Batatas. *Batata, Batata da terra.* Tubera cocta vel assata.
Batatas edulis Choisy. *Jetica* Bras., *Quiquoa quianputu* Congens., Piso II. 254. Marcg. 16. — Convolvulus Batatas Vell. l. c. II. t. 59. et plures aliae species, uti:
Convolvulus edulis Vell. II. t. 55.
tuberosus Vell. II. t. 57.
esculentus Vell. II. t. 58.
varius Vell. II. t. 61.

EUPHORBIACEAE.

Manihot utilissima Pohl. *Mandiiba* vel *Maniba* Tupin. Bras. Pohl. Pl. Bras. Ic. et descr. I. 32 t. 24. Jatropha Manihot L. Vell. X. t. 80. Radix: *Mandioca* Bras.

Manihot Aypi Pohl. l. c. 29 t. 23. *Aipi* Bras. Radix: *Macajera* Bras.

Piso I. 52, II. 114, 115, 305. Marcg. 65. *Cuguaçuremiu* Lib. Princ. 331.

Radix farinam suppeditat et amylon: *Tipioca, Tapioca* Bras.

LEGUMINOSAE.

Phaseolus. *Feijoeiro.* Semina (*Feijoês*) usui culinari et medico promiscue dicata.

Phaseolus vulgaris Savi. *Feijaô mulatinho, fidalgo, roxo, incarnado, covado* rel.

compressus DC. et inamoenus L.

tumidus et sphaericus Savi. *Feijaô Carapato.*

derasus Schrank. Pl. rar. Horti Monac. t. 89. *Feijaô preto.*

Dolichos monachalis Brot. *Feijoeiro frade.*

Phaseolus mesoleucus Schrank.

Dolichos sinensis L. *Feijoçinho da India.*

Dolichos melanophthalmus DC. Prodr. II. 400.

Lablab vulgaris Savi.

Cumandatiá Piso 251.?

Cajanus flavus DC. — Cytisus Cajan Lin. — Vell. VII. t. 116. *Guandú* Piso II. 252.

Ob tubera amylacea esculenta in provincias australes introducendae erunt, quae sequuntur:

OXALIDEAE.

Oxalis tuberosa Molina Saggio 132. *Oca* Chilensium.

Oxalis crassicaulis Zucc. Acta Monac. 1832. t. 8. 234.

Oxalis carnosa Mol. ibid. 237. (Lindl. Bot. Reg. XIII. t. 1063. Hook. Bot. Mag. LV. t. 2866.)

MUCILAGINOSA.

Chlorophyllo-mucilaginosa s. Oleracea.

ARACEAE.

Caladium Poecile Schott. vide supra Amylacea p. 2.

Caladium sagittifolium Vent. vide supra ibidem.

Folia novella cocta.

AMARANTACEAE.

Amarantus. *Carurú* Tupinice.

Amarantus bahiensis Schrad. Ledeb.

Chenopodium caudatum Jacq.

Amarantus viridis Vell. X. t. 27.?

Cararú, sp. Bliti americana Piso II. 241.

Amarantus melancholicus L. *Carurú vermelho* Lusit.

Amarantus viridis L.

Folia omnium juniora cocta pro olere comeduntur, succo Citri addito; externe in cataplasmate emolliente adhibentur. Mart. Reise I. 284 n. 38.

Philoxerus vermiculatus R. Br.

Caaponga I. Piso II. 243. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 426.

PHYTOLACCEAE.

Phytolacca decandra L. *Erva dos cachos da India*, *Tintureira vulgar*. Lusit. *Cuarurú-guaçú* Marcg. Lib. princ. 287. Vell. IV. t. 189. (Introducta?)

Novella herba oleris instar comeditur; adulta alvum fortiter solvit. In cataplasmate ulceribus male moratis imposita mirum proficere creditur.

PORTULACACEAE.

Portulaca. *Beldroega* Lusit.

Portulaca pilosa L. *Caaponga* III. Piso II. 244. Marcgr. 49.

Portulaca radicans Mart. *Caaponga* II. Piso II. 244. Marcg. 49.

Portulaca halimoides Vell. V. t. 10. (Differt, alia ut sileam, petalis purpureis, nec flavis. Frequens in maritimis.)

Talinum patens Willd. Portulaca patens Vell. V. t. 12.

Hae omnes et aliae plures Portulacae species oleraceae sunt et passim adhibentur.

MALVACEAE.

Abutilon esculentum S. Hil. *Bençâo de Deos* Lusit. S. Hil. Pl. Usuel. t. 51. Sida ecornis Vell. VII. t. 16.

Flores et fructus immaturi cocti comeduntur.

Hibiscus esculentus L. *Guiábo* v. *Guimgombo* Aethiop.

Ex Africa introductus fructus immaturos in jusculo coquendos offert. Piso II. 211. Vell. VII. t. 31. Mart. Reise I. 284 n. 35.

LEGUMINOSAE.

Phaseoli variae species fructus largiuntur immaturos pro moreto edendos. V. supra Amylacea p. 3.

Salino - mucilaginosa.

PALMAE.

Cocos schizophylla Mart. Palm. Bras. 119 t. 84, 85. *Ariri, Aricuri, Aliculi, Aracui* Bras.

Succus fructuum immaturorum expressus contra levioris momenti ophthalmias in provincia Bahiensi adhibetur.

URTICACEAE.

Boehmeria caudata Sw. *Asa peixe* Lusit.

Herba contra dolores haemorrhoidales in balneis. Mart. Reise I. 282 n. 16.

Pilea muscosa Lindl.

Succus herbae expressus contra dysuriam in provincia Bahiensi in usum vocatur.

Cecropia. *Ambaiba* Tupin.

Cecropia palmata Willd.
Piso I. 72, II. 147. Marcg. 91. Cecropia peltata Vell. X. t. 101.

Cecropia peltata L. Willd. *Ambaitinga* Piso I. 72, II. 148.
Succus e gemmis expressus refrigerans, involvens, contra diarrhoeam, dysuriam, gonorrhoeam, fluorem album porrigitur, cochlearis dosi, cum lacte vel decocto hordei saccharato.

BORAGINEAE.

Echium plantagineum. *Burracha chimarona* Lusit. Hisp.
In prov. Rio Grande do Sul, Montevideo. Radix Symphyto substituitur. S. Hil. Plant. Usuell. t. 25.

Tiaridium indicum Lehm. *Aguara ciunha-açu* Piso I. 109. *Jacua-Acanga* Piso II. 229. Marcg. 7. Lib. Princ. 517.
„Inter abstergentes et mundificantes haec planta numeratur; contra vulnera et ulcera, quod simul consolidandi qualitate polleat tum et contra custaneos affectus, ex adustione natos, feliciter adhibetur:“ Piso. Contra inflammationem ani: Idem 42. Hujus plantae laudes celebrari saepe audivi et effectus testis sum. Similia valent de insequentibus.

Tiaridium elongatum Lehm. Icon. Asperifol. t. 6. Altera spec. Marcg. 7 absq. ic.? *Crista de Gallo* Lusit.

Heliotropium curassavicum L. *Crista de Gallo* Lusit.
Cfr. Mart. Reise I. 286 n. 49.

CUSCUTEAE.

Cuscuta. *Sipo de Chumbo* Lusit.

Cuscuta umbellata Humb.

Cuscuta racemosa Mart. et aliae species.
Succus recenter expressus resolvens, antiphlogisticus, in haemoptysi, in faucium inflammatione, in raucedine, immo contra abscessus internos, vomicas hepaticas celebratur. Pulvis herbae exsiccatae vulneribus recentibus inspersus sanationi prodest. — Mart. Reise I. 286 n. 52.

NOPALEAE.

Cerei varii stantes. *Jamacarú* Tupin.

Succus ramorum novellorum expressus refrigerans, contra febres intermittentes porrigitur dosi refracta. Contra ulcera phagedaenica cataplasmate adhibentur ramuli contusi.

Adstringenti – mucilaginosa.

LORANTHACEAE.

Struthanthus citricola. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 474. *Tetypote-iba* Piso II. 250. *Guira-* v. *Oéra-repoty* i. e. stercus avium Tupin.

Herba contusa cum oleo cocta unguentum largitur contra tumores a frigore.

LEGUMINOSAE.

Bauhinia L. *Unha de Boy* Lusit. *Mororô* Tupin.

Bauhinia forficata Link. Enum. hort. Berol. I. 404. Plant. sel. t. 36. Bot. Mag. 3741. — Bauhinia aculeata Vell. IV. t. 83. Mart. Reise I. 286 n. 34.

Caulotretus Rich. *Sipo de Escada* Lusit. *Mororô-Sipó* Tupin.

Caulotretus macrostachyus.
Schnella Raddi. Bauhinia radiata Vell. IV. t. 81.

Caulotretus microstachyus.
Schnella Raddi. Bauhinia tomentosa Vell. IV. t. 84.

Folia harum Leguminosarum mucilaginosa subadstringentia in cataplasmate, clystere, gargarismate adhibentur, sub indicatione emollientium involventium.

TILIACEAE.

Triumfetta. *Carapicho. Carapicho da Calçada* Lusit.

Triumfetta semitriloba Lam.

Triumfetta eriocarpa S. Hil.
Triumfetta Lappula Vell. V. t. 5.

Triumfetta sepium S. Hil.

Decoctum herbae et fructuum contusorum ad injectiones in gonorrhoea. Mart. Reise I. 286 n. 36.

STERCULIACEAE.

Helicteres. *Vuaráme* Tupin.

Helicteres Sacarolha S. Hil. *Rosea para as mulas.* S. Hil. Plant. Usuell. t. 64. Decoctum radicis in gonorrhoea.

Helicteres ovata Lam. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 292.

Helicteres brasiliensis Mikan Delect. fasc. 4.

Helicteres Isora Vell. Flor. Flum. IX. t. 102.

Helicteres corylifolia Nees et Mart. Nova Act. Ac. N. C. XII. 44.

Helicteres brevispira S. Hil.

Helicteres haruensis Vell. IX. t. 101.

Helicteres Vuaráme Mart. Herb. Flor. Bras. 293 (3).

Omnium harum specierum flores uti nostratis Alceae roseae flores adhibentur.

Kielmeyera Mart. *Páo Santo* Bras.

Kielmeyera speciosa S. Hil. Plant. Usuell. t. 58.

Kielmeyera rosea Mart. Zucc. Nova Gen. et Spec. Bras. I. t. 68.

Flores emollientes in gargarismate et in balneis.

LYTHRARIEAE.

Cuphea. *Sete Sangrias* Bras.

Cuphea ingrata Cham. Schlecht. in Linnaea II. 371.

Cuphea Balsamona Id. 363.

Balsamona Pinto Vandelli Fl. Lus. et Bras. Specimen 30. t. 4.

Decoctum in febribus intermittentibus egregia cum laude praedicatur.

ONAGRARIAE.

Oenothera affinis Camb. *Erva Minuana* Bras. Camb. in S. Hil. Fl. Br. Mer. II. 269. Mart. Plant. Bras. medic. et oec. ined. t. 79. Vulneraria.

COMPOSITAE.

Xanthium. *Espinha do Carneiro* (Rio Grande do Sul.)

Xanthium macrocarpum DC.

Xanthium brasilicum Vell. X. t. 23.

Xanthium brachyacanthum DC.

Xanthium spinosum Vell. X. t. 24.

Herba discutiens, in balneis contra tumores ex frigore.

Elephantopus Martii Graham. *Suçuáya* Tupin. *Fumo bravo* (Minas), *Erva do Collegio* (Rio de Janeiro).

Elephantopus cervinus Vell. VIII. t. 148.

Herba emolliens, discutiens, in decocto et cataplasmate.

Solidago vulneraria Mart. *Lanceta* Bras. (Rio Grande do Sul). Mart. Plant. Bras. medic. et oecon. ined. t. 39.

Baccharis ochracea Spreng. *Erva Santa* Bras. (Rio Grande do Sul). Mart. l. c. t. 45.

Utriusque herba inter egregia vulneraria praedicatur.

Amaricanti – mucilaginosa.

SCROFULARINEAE.

Buddleja brasiliensis Jacq. fil. *Barbasco* Bras.

Buddleja connata Mart. Reise I. 284 n. 32. (*Basoura* Piso I. 110 icon., quae in Pison. II. 246 minor, forsan ad B. stachyoidem Cham. Schl. pertinet vel B. grandifloram. Plures plantae heic confusae.)

Buddleja australis Vell. I. t. 104.

Herba et flores uti Verbasci nostratis adhibentur.

Scoparia dulcis L. *Vaçourinha, Basourinha* Bras. vel *Tupeiçava* Piso I. 110, II. 246. Vell. I. t. 123. Mart. Reise I. 284 n. 37.

Egregium remedium in doloribus haemorrhoidalibus est decoctum clystere applicitum.

VERBENACEAE.

Verbena jamaicensis L. *Jarbão, Urgevão, Orgibão* Bras. S. Hil. Pl. usuell. t. 39. Mart. Reise I. 284 n. 21. Vell. I. t. 37.

Externe contra ulcera immunda, interne contra febres et inflammationes rheumaticas. *Aguara-Ponda* Marcg. 6.? Lib. Princ. 507.

SOLANEAE.

Solanum L. *Juá* v. *Joá* Bras.

Solanum paniculatum L. *Juripeba.* Piso I. 84, II. 181. Marcg. 89. (*Jurepeba* I.) Mart. Reise I. 282 n. 18.

Solanum Jubeba Vell. II. t. 124. (varietas fol. subintegerrimis).

Radix amarore pollet. Folia et fructus mucilaginosi et amari resolvendi vi excellunt, in viscerum infarctu; externe mundificandis et temperandis vulneribus et ulceribus inserviunt.

Solanum cernuum Vell. II. t. 103. *Braço de Preguiça* Bras.

Solanum Caavurana Vell. II. t. 112. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 167 et 259. Mart. Reise I. 282 n. 19. — Usus ut praecedentis.

UMBELLIFERAE.

Eryngium Lingua Tucani Mart. *Lingua de Tucano* Bras. Mart. Plant. Bras. medic. et oecon. ined. t. 76.

Herba amaricanti-mucilaginosa diuretica, contra aphthas et ulcera faucium in decocto, in prov. Minarum et S. Pauli.

Acridulo- vel resinoso-mucilaginosa.

POLYGONEAE.

Polygonum. *Cataiá* Tupin.

Polygonum antihaemorrhoidale Mart. *Erva do Bicho.* Reise II. 550 n. 27.

Polygonum acre Kunth.

Succus harum specierum acris, stimulans, aperiens contra stranguriam et dysenteriam cruentam. Herba in balneis et cataplasmate contra dolores arthriticos et haemorrhoides.

Polygonum stypticum Cham. Schlecht. in Linnaea III. 53.

Succus adstringens, refrigerans, in diarrhoea, gonorrhoea.

Polygonum acetosaefolium Vent. Hort. Cels. t. 88. *Salsa* (Rio Grande do Sul).

Coccoloba sagittifolia Ortega, Cham. Schlecht. in Linnaea III. 54.

Decoctum herbae, praesertim caulis, contra syphilitiden.

CONVOLVULACEAE.

Ipomoea maritima R. Br. *Salsa da Praia* Bras.

Convolvulus brasiliensis L. Vell. II. t. 62.

Convolvulus marinus Piso II. 258 Marcg. 51.

Folia mucilaginosa acridula in affectibus ex frigore, in gonorhoea languida rel. tam externe applicata, quam decocto per os sumta.

LEGUMINOSAE.

Cassia occidentalis L. *Pajomarioba* Bras.

Pajomarioba I. Piso I. 86, II. 185. Marcg. 9.

Cassia geminiflora Schrank Rar. Hort. Mon. t. 26.

Cassia falcata L.

Cassia sericea Sw. *Fedegozo, Matapasto* Bras. *Tareroqui* Tupin.

Pajomarioba II. Piso I. 10, II. 185. Marcg. 10.

Cassia alata L.

Cassia herpetica Jacq. Obs. II. t. 45. ?

Harum Cassiarum herba abstergens, mundificans externe in impetigine, inflammatione ani Doença do bicho dicta et in anthracibus applicatur. Radix cum aqua cocta resolvens contra infarctus hepatis, hydropem ingruentem; urinam movet. Semina mucilaginoso-subacria tosta intestina roborant tamquam coffeae querneae potus.

Mart. Reise I. 284 n. 30.

MALVACEAE.

Gossypium vitifolium Lam. *Algodoeiro* Lusit. *Aminüü* Piso I. 59, II. 186. Lib. Princ. t. 403.

Folia novella et semina emollientia contra dysenteriam decocto praescribuntur. Fumigatione contra tumores lymphaticos in usum vocantur, emulsione ad injectiones. Folia contusa ulceribus malignis imposita mirifice mundificant. Folia aceto tincta in hemicrania capiti applicantur.

PASSIFLOREAE.

Passiflora L. *Murucujá* Bras.

Passiflora foetida L.
Passiflora hircina Sweet.
Passiflora hibiscifolia Lam.
} *Murucuja do Estralo* Bras.

Herba in balneis et cataplasmate contra erysipelaten et affectiones cutis inflammatorias. Mart. Reise II. 546 n. 11.

TROPAEOLEAE.

Tropaeolum pentaphyllum Lam. *Chagas da Miuda* Bras. S. Hil. Pl. usuell. t. 41.

Herba antiscorbutica.

ANONACEAE.

Anona. *Araticú*, *Araticum* Bras.

Anona muricata L. Mart. Flor. Bras. Anonac. 4 n. 1. (Culta.)

Anona Marcgravii Mart. l. c. 5 n. 2.
Araticu-ponhé Piso II. 141, 142. Marcgr. 93. Lib. Princ. 117.

Anona Pisonis Mart. l. c. 5 n. 3.
Araticú-Apé Piso II. 142. Marcg. 94.

Anona squamosa L. Mart. l. c. 14 n. 21 t. 5 fig. 1. *Atta, Pinha, Frutta de Condessa* Bras. (Culta.)

Anona reticulata L. Mart. l. c. 15 n. 22. (Culta.)

„Folia recens fricta odorem spargunt ingratum, qui oritur ex oleo aethereo, quod inest in cryptis telae cellulosae. Haec aut aqua

fervida immersa aut cum oleo contrita adhibentur ad maturanda apostemata." Mart. Flor. Bras. Anonac. 61.

Anona palustris L. Mart. Anonac. in Flora Bras. 11.
Araticu-Pana Piso I. 48, II. 142, 306. Marcg. 94. Lib. Princ. 333.
„Folia laudat Wrightius pari esse odore ac frondes Sabinae eodemque modo illa quo fructus excutere ex alvo vermes." Mart. l. c.

Anona spinescens Mart. *Araticum do Rio* vel *do Alagadisso* Bras. Reise II. 555 n. 63. Anonac. 11 t. 4.
Fructus caro per cataplasmata ulceribus et apostematis imposita maturat ea atque expurgat. Mart. Anonac. 61.

CAPPARIDEAE.

Crataeva Tapia L. *Páo d'Alho* Bras. *Tapiá* Piso I. 69, II. 140. Vell. V. t. 3.
Folia contusa contra inflammationem ani, et ad maturanda apostemata.

MUCILAGINOSA INDIFFERENTIA ET GUMMATA.

COMMELINEAE.

Tradescantia diuretica Mart. *Trepoeraba* v. *Traboerava* Bras. Mart. Reise I. 281 n. 15.
Herba saponacea subacridula in balneis et clysmate contra dolores rheumaticos, tarditatem ventriculi a refrigerio, in injectione contra retentionem urinae spasmodicam.

Commelina deficiens Herbert. *Marianinha* (Bahia, Maragnan.), *Trapoeraba-rana* (Rio de Janeiro, Minas). Botan. Magaz. LIII. t. 2644. Marcgr. 8. ic.

Commelina communis Vell. I. t. 75. Mart. Reise II, 792.
Herba uti antecedens adhibetur.

MALVACEAE.

Hibiscus Abelmoschus L. *Quigombo do cheiro.*
Quicombo I. sive Alcea moscata Piso II. 210. Marcg. 45.
Semina noti usus. Herba in fomentis et clysmatibus.

Sida carpinifolia L. *Malva* Bras. *Tupitcha* Tupin. *Vassoura* Lusit. (Rio Grande do Sul.)

Sida jamaicensis Vell. VII. t. 10.
Mart Reise I. 284. n. 33. S. Hil. Pl. usuell. t. 50.

Sida rhombifolia L.

Sida multiflora Cav.

Sida althaeifolia Sw., tomentosa Vell. VII. t. 14.

Herba emolliens uti Malva nostras adhibetur. Infusum florum pro gargarismate in subinflammatione faucium.

Urena lobata Cav. *Malvaisco* Lusit. *Guaxima* Tupin. S. Hil. Pl. usuell. t. 56. Urena trilobata Vell. VII. t. 44.

Urena sinuata L. *Carapicho* Lusit. *Urucurana* Lib. Princ. 513.

Utriusque herba emolliens, decocto adhibetur in colica ex refrigerio; floris infusum in tussi inveterata.

Pavonia diuretica S. Hil. Pl. usuell. t. 53. Mart. Reise II. 791 n. 18.

Herbae decoctum contra dysuriam.

Sphaeralcea cisplatina S. Hil. l. c. t. 52. *Malvalisco* (Rio Grande etc.)

Decoctum herbae in catarrho pulmonum.

BÜTTNERIACEAE.

Waltheria Douradinha S. Hil. l. c. t. 36. *Douradinha* (S. Paulo, Minas).

Decoctum herbae in affectione catarrhali.

Guazuma ulmifolia L. *Mutamba*, *Motamba* Lusit. (Angolensibus). *Ibixuma* Piso II. 162. Marcg. 131. Lib. Princ. 347.

Fructus gelatinoso-saccharinus nutriens pecoribus prodest, hominibus tamquam emolliens humectans decocto propinatur.

STERCULIACEAE.

Myrodia angustifolia Mart. Herb. Flor. Bras. n. 294.

Fructus mucilaginosi. Succus recenter expressus contra ophthalmias.

POMACEAE.

Pyrus Cydonia L. *Marmelleiro* Lusit.

In provinciis australioribus frequentissime culta.

Semina Cydoniorum. Mucilago.

LEGUMINOSAE.

Pithecollobium gummiferum Mart. *Brincos de Sahoy* Bras. *Angico* (Minas). Mart. Herb. Flor. Bras. n. 156.

Gummi ex arbore fusum Gummi Senegal aemulum, in deserto prov. Minarum et Bahiensis colligitur.

CASSUVIEAE.

Anacardium occidentale L. *Acajú*, *Oacajú*, *Cajú* Bras. *Acajaiba* Piso I. 58, II. 120. Marcg. 95.

Anacardium occidentale Vell. IV. t. 45 (planta culta).

Anacardium mediterraneum Vell. IV. t. 46 (planta fera?).

Anacardium humile Mart. Reise I. 314 (fol. lineari-oblongis).
Gummi Acajú uti G. arabicum adhibetur. Mart. Reise I. 286 n. 54.

PINGUI-OLEOSA.

Emulsiva.

PALMAE.

Plurium Palmarum brasiliensium fructus oleo pingui pollet, quod pressione elicitur. Purum adhiberi potest aut trituratione cum aqua emulsionem amygdalinam praebet. Ex his enumerandae sunt:

Oenocarpus Bacaba Mart. *Bacaba*, *B. de Azeite* Bras. Mart. Palm. Bras. 24 t. 26 f. 1.

Caro fructus oleifera. Oleum mite. Mart. Reise II. 876.

Elaeis guinensis Jacq. *Coqueiro de Denté* Bras. Mart. l. c. 62 t. 54, 56.

Ex hujus palmae fructibus oleum palmarum guineense coctione et pressione elicitur, vario scopo medico inserviens.

Elaeis melanococca Gaertn. *Caiaué* (Pará, Rio Negro).
Fructus uti antecedentis oleo pollet.

Acrocomia sclerocarpa Mart. *Macaubá* Tupin. *Coco de Catarro* Bras. Mart. l. c. 66 t. 56, 57.
Caro putamen involvens inter mucilaginosa recensenda est. Semen uti plerarumque Cocoinearum oleosum est.

Astrocaryum Murumurú Mart. *Murumurú* Bras. (Pará etc.) Mart. l. c. 70 t. 58, 59.

Astrocaryum Ayri Mart. *Ayri* Bras.
Mart. l. c. 71 t. 59. *Ayri* Piso II. 129. Vell. XI. t. 121.

Astrocaryum vulgare Mart. *Tucum* Bras.
Mart. l. c. 74 t. 62, 63. *Tucum* Piso II. 128.

Astrocaryum Tucumá Mart. *Tucumá* (Pará, Rio Negro).
Mart. l. c. 77 t. 65 f. 2.

Astrocaryum Jauarí Mart. *Jauarí* (Pará, Rio Negro).
Mart. l. c. 76 t. 52, 65 f. 1.

Diplothemium littorale Mart. *Pissandó* Tupin.
Mart. l. c. 110 t. 76 f. 5. Vell. XI. t. 122. Lib. Princ. 383. fig. superior spadicis fructiferi.

Diplothemium maritimum Mart. *Coco da Praia* Bras.
Mart. l. c. 108 t. 75, 77 f. 3.

Cocos coronata Mart. *Aricuri* Bras. (Bahia).
Mart. l. c. 115 t. 80, 81. *Urucuri-iba* Piso II. 127. Lib. Princ. ic. spadicis fructiferi.

Cocos flexuosa Mart. *Coco de Quaresima* Bras.
Mart. l. c. 120 t. 64, 81.

Cocos nucifera L. *Coqueiro da India*, *Coco da Bahia* Bras.
Mart. l. c. 123 t. 62, 75, 88 f. 3 — 6. *Inaja-guaçu-iba* Piso II. 130. Marcg. 138. absq. ic.

Attalea spectabilis Mart. *Curuá* Bras. (Pará).
Mart. l. c. 136 t. 96 f. 1, 2.

Attalea compta Mart. *Indajá* Bras.
Mart. l. c. 137 t. 41, 75, 97. *Pindova* Piso I. 62, II. 125. Marcg. 134.

Attalea excelsa Mart. *Urucuri* Bras. in prov. septentrion. Mart. l. c. 138 t. 96 f. 3.

Attalea spectabilis Mart. l. c. 138. *Oauassú* Bras. borealis.

Hae omnes, quas attulimus, species Cocoinearum e nucleo seminum cum aqua trito lac vegetabile s. emulsivum largiuntur, cujus usus in medicina varius tam interne quam externe. De Coco nucifera id unicum moneo, mentulae exulceratae egregium levamen e balneis intra lac perforatae nucis nondum maturae derivari.

HUMIRIACEAE.

Helleria obovata Nees et Mart. in N. Act. Ac. Nat. Cur. XII. 30 t. 7. Semina amygdalina.

CHRYSOBALANEAE.

Chrysobalanus Icaco L. *Goajurú*, *Oajurú* Bras. *Guajeru* Marcg. 77. Lib. Princ. 275. *Abajeru* Notic. do Braz. 161.

Moquilea canomensis Mart. Nov. Gen. Bras. II. 79 t. 166.

Licania Turiúva Cham. Schlecht. *Turiuva* v. *Carapeirana* (Para) Cham. Schlecht. in Linnaea II. 550. Omnium semen amygdalinum.

CANELLACEAE.

Platonia insignis Mart. *Pacory* v. *Bacuri* Bras. Mart. Nov. Gen. Bras. III. 108 t. 288 f. 2 t. 289. *Ibacuru-pari* Marcg. 119. *Bacoropary* Notic. do Braz. 163. Moronobea esculenta Arruda Disc. 32. Semen amygdalinum.

LECYTHIDEAE.

Bertholletia excelsa Humb. *Niá* v. *Nha* Tupin. *Castanheiro do Maranhaô* Bras. Mart. Reise III. 1130 n. 11.

Lecythis Pisonis Cambessedes. *Sapucaja* Bras. Camb. in S. Hil. Flor. Br. Mer. II. 377. (*Zabucájo* Piso I. 65. *Jaçapucaio* Piso II.

135. alia ic. cum fructu, qui in Libro Princ. capite infantis **major** repraesentatur.) Lecythis Ollaria Vell. V. t. 88.?

Lecythis lanceolata Poir. *Sapucaja branca* Bras. *Jacapucajo* altera sp. Piso I. 65, II. 134.? Lecythis minor Vell. V. t. 85.

Lecythis grandiflora Aubl. Flor. Gujan. t. 283 — 285.

Hae et nonnullae aliae species semina amygdalina largiuntur castaneae similia; sola vel cum moreto eduntur, iisque Indi pinguescere solent. Lac emulsivum e nucleis praeparatum tamquam emolliens et involvens in affectionibus catarrhalibus et praesertim in subinflammatorio statu systematis uropoetici rite praescribitur.

RHIZOBOLEAE.

Caryocar. *Piqui*, *Piquiá* Bras.

Caryocar brasiliense S. Hil.
S. Hil. Fl. Br. mer. I. 322 t. 67 bis.

Caryocar glabrum Pers. Mart. Reise III. 1130 n. 11.

Caryocar buturosum Willd.
Acanthacaryx pinguis Arruda Discurso etc. sobre Jardins 34. Mart. l. c. II. 791 n. 17.

Caryocar tomentosum Willd. Omnium semen pingui-oleosum.

STERCULIACEAE.

Sterculia Chicha S. Hil. *Chichá* (Goyaz).
S. Hil. Pl. usuell. t. 46. Turpin Atlas du Dict. des Scienc. nat. ic. Mateatia curiosa Vell. IX. t. 95.

Sterculia lasiantha Mart. *Chichá* (Piauhy, Maragnanum).

Utriusque speciei semina amygdalina.

Unguinoso-Pinguia.

BUETTNERIACEAE.

Theobroma. *Cacao.* Mart. in Buchners Repert. XXXV. 1 sq. Reise III. 1127.

Theobroma Cacao L. *Cacao.*
Theobroma bicolor Humb. Bonpl.
Theobroma subincanum Mart. l. c.
Theobroma sylvestre Aubl.
Theobroma microcarpum Mart. l. c.

} Semen. Butyrum Cacao rel. Prima species culta, reliquae sylvestres.

MYRISTICEAE.

Myristica (Virola Aubl.) sebifera Sw. *Ucuúba.* Mart. Reise III. 1130 n. 11.

Myristica officinalis Mart. *Vicuiba, Bicuiba redonda, Noz noscada do Brasil.* Mart. Reise II. 543.

Myristica Bicuhyba Schott. in Spreng. S. Veg. Cur. post 409.

Sebum subaromaticum, in colica et dyspepsia. Oleum e coctis nucleis expressum pro unguentis contra dolores rheumaticos, tumores arthriticos etc.

Limpido-oleosa.

BIGNONIACEAE.

(Sesameae).

Sesamum orientale L. *Gergelim, Jerxelim.* Marcg. 21. Mart. Reise II. 875. Olei seminum causa colitur.

LEGUMINOSAE.

Arachis hypogaea L. *Mundubi, Mandobi* Piso II. 256. Marcg. 43 absq. ic. *Manobi* Lery 166.

Mandupitiu, Jarere Marcgr. Lib. princ. 409. Semina farinaceo-unguinosa. — De hujus plantae historia cfr. Mart. in Münchn. gel. Anzeigen 1839. 968.

LINEAE.

Linum usitatissimum L. *Linho.*

Passim in prov. australibus culta.

Semen Lini. Oleum expressum.

OCHNACEAE.

Gomphia parviflora DC.

Ochna Jabotapitta Vell. V. t. 90.

Jabotapita Piso II. 166.

Oleum mite e fructibus exprimitur pro acetariis receptum, Piso.

Amaro-oleosa.

EUPHORBIACEAE.

Ricinus L. *Mamona, Carapateiro*, Bras. *Bafureira* Lusit. in Africa.

Ricinus communis L.
Ricinus viridis Willd.
Ricinus inermis Jacq. } ubique culti frutices.

Oleum (*Azeite de Mamona*) e seminibus pressione elicitum in lucernis et in medicina adhibetur, usu noto.

Nhambu-guaçu v. *Figueira d'inferno* Piso I. 91, II. 180. Marcg. 77. Lib. Princ. 289.

Aleurites moluccana Willd. *Noz da India, Noz do Bancoul.*

Arbor (in horto publico Paraënsi culta) oleum e seminibus suppeditat egregium acrimoniae cuidam nuptum. Usus in unguento contra dolores rheumaticos.

NHANDIROBEAE.

Feuillea trilobata L. *Fava de S. Ignacio* Bras.

Nhandiroba Piso II. 259. Marcgr. 46. Lib. Princ. 449.

Feuillea cordifolia Vell. X. t. 102. Mart.

Oleum ex seminibus expressum amarum, in unguentis contra dolores ex frigore.

Hypanthera Guapeva Manso Enumeraçaô 37. *Guapeva* (S. Paulo), *Fava de S. Ignacio* (Minas).

Semina arbusti scandentis oleosa amara in ictero mire prosunt, parva dosi (1—2 seminum) saepius repetita; majore alvum fortiter movent.

Anisosperma Passiflora Manso l. c. *Jobotá, Fava de S. Ignacio* (Rio, Minas).

Feuillea Passiflora Vell. X. t. 104. — Mart. Reise I. 288 n. 51.

Semen (*Castanha do Jobotá*, *de Bugre*, *Fava de S. Ignacio*) oleo amaro, materia sebacea miti et resinosa scatens inter antidotalia et stomachica summae efficaciae laudatur. Rasum dosi 1—2 drachm. contra dyspepsiam, flatulentiam, tarditatem ventriculi, spasmos tractus intestinalis praescribitur; majore dosi purgat.

Feuillea monosperma Vell. l. c. t. 103. Idem usus seminum.

MELIACEAE.

Carapa gujanensis Aubl. *Andiroba*, *Angiroba*, *Nandiroba* Bras. prov. boreal. Mart. Reise II. 791, 876.

Oleum amarum, externe in vulneribus praesertim a culice penetrante et contra impetigines adhibetur.

SACCHARINA.

GRAMINEAE.

Saccharum officinarum L. *Canna*, *Canna de Assucar*. *Vibá*, *Tacomaree* v. Arundo saccharifera Piso I. 49, II. 108—111.

Nees ab Esenb. in Mart. Agrostographia bras. 318. Cfr. de Sacchari cultura et commercio Mart. l. c. 562—573 et Prudentii Amaralii de Sacchari opificio carmen, ibidem 577—592 reimpressum.

Anatherum bicorne Pal. Beauv. *Caapim-peba* Marcgr. Bras. 110.? *Sapé* (Minas). Nees ab Esenb. l. c. 321. Mart. Reise II. 791 n. 15.

Radix aqua cocta diluens, sudorificum praebet, radici graminis nostrati aequiparanda.

Stenotaphrum glabrum Trin. Nees l. c. 92. *Grama da Praya* (Bahia).

Radix uti praecedentis adhibetur.

Gynerium saccharoides Kunth. Nees Agrostogr. 462.

Arundo sagittaria *Vuba* Marcg. 4.

Culmi saccharino succo pollent.

Gynerium parviflorum Nees ab Esenb. l. c. 463.

Hujus et praecedentis speciei radix saccharino-mucilaginosa cum radice nostratis Arundinis Phragmitis et Donacis virtute convenit. Decoctum radicis contra defluvium capillorum. Piso II. 214.

MUSACEAE.

Musa sapientum L. *Pacobeira, Bananeira da terra* Bras. *Pacoeira* Piso II. 154. Marcg. 137. Vell. Flor. Flum. XI. t. 1, 2.

Musa paradisiaca L. *Bananeira de S. Thomé. Pacobuçú* vel *Banana* Piso l. c. Marcg. 138.

Thevet France antarct. Cap. 33, 61. Notic. de Braz. 157.

Paco-aire Lery edit. 1586. 156.

Fructus horaeus crudus, assatus, coctus et exsiccatus. Vinum e fructu.

PALMAE.

Mauritia vinifera Mart. Palm. Bras. 42 t. 38, 39. *Buriti, Bruti.*

Succus saccharinus e trunco.

Pulpa vitellina fructus cum saccharo condita: *Sajetta.*

Palmae variae brasilienses succum continent saccharinum.

SOLANEAE.

Solanum ovigerum Dunal. *Bringela, Beringela* Lusit. introductum. *Belingela* Piso II. 210. Marcg. 24 (pro S. macrocarpo, specie peruviana, a b. Sprengelio habitum).

Solanum Lycopersicum L. Lycopersicum esculentum Dunal. *Tomate.*

Fructus uti in Africa et Europa australi usitatus; posterioris ab Aethiopibus in phyltra receptus.

CUCURBITACEAE.

Cucurbita Citrullus L. *Melancia. Jaeé* s. *Anguria* Piso II. 263.

Cucurbita Potiro Pers. *Abobreira grande* Lusit.
Cucurbita maxima Duch. DC. Prodr. III. 316. Lobel Observ. 365 fig. 2. *Jurumú* Piso II. 264. Marcg. 44.

Cucurbita Pepo L. *Abobreira das Aboboras meninas.* Varietates cultae *moganga, porqueira, chila* etc. Vell. Flor. Flum. X. t. 100.

Cucurbita ceratocreas Haberle. Schüz Dissert. Tubing. 1825. 15.
Cucurbita odorifera Vell. Flor. Flum. X. t. 99. ?

Cucumis Melo L. *Melaô.*

PAPAYACEAE.

Carica Papaya L. *Mamoeira. Mamaô.* Notic. do Braz. 159.
♂ Carica Papaya Vell. X. t. 130. ♀ C. Mamaya Vell. X. t. 131.

Carica dodecaphylla Vell. *Jaracatiá* Piso I. 100. II. 160. Marcg. 128. Vell. Fl. Flum. X. t. 132. (Non Allasia Payos Lour. Cochinch. 85, ad quam cl. DC. Prodr. III. 320 citat Jaracatiam Pisonis.)

Carica digitata Aubl. Vell. Flor. Flum. X. t. 133. (Allasia Jobini Manso Enumeraçao etc. 36 n. 84.)

Fructus crudus, assatus et coctus comeditur, virtutibus peponi aequiparandus. In cataplasmate adhibitus vulnera et ulcera sanat.

LEGUMINOSAE.

Inga edulis Mart. Herb. Flor. Bras. n. 154 a. Vell. Fl. Fl. XI. t. 3. Marcg. 111 f. 2. Lib. Princ. 395, 397. *Enga* Not. do Braz. 163.

Inga dulcis Mart. l. c. Vell. l. c. t. 4. *Inga Opeapiiba* Marcg. 112. excl. icone.

Inga cordistipula Mart. l. c. n. 150.
Mimosa plana Vell. l. c. XI. t. 10.

Inga tetraphylla Mart. l. c. n. 153.
Mimosa tetraphylla Vell. l. c. t. 8.
Caro semina obvolvens mucilaginoso-dulcis.

Periandra dulcis Mart. Benth. Annal. des Wien. Mus. II. 121. *Alcassuz* (S. Paulo, Minas).
Glycyrrhiza mediterranea Vell. VII. t. 143.
Radix Liquiritiae nostrati substituitur.

Hymenaea stilbocarpa Hayne. *Jatobá*, *Jatahy*. Hayne Arzneigew. XI. t. 11.

Hymenaea Courbaril Mart. Reise I. 284, 299. II. 555.

Hymenaea stigonocarpa Mart. Hayne l. c. XI. t. 13.

Hymenaea Courbaril. Hayne l. c. XI. t. 10.
Jetaibá Piso II. 122 (nisi ad priores pertineat species).
Pulpa sicca amylacea semina involvens dulcis, pectoralis.

RHAMNEAE.

Zizyphus Joazeiro Mart. *Juá*, *Joazeiro*. Mart. Reise II. 581.
Drupa tanquam Jujubae adhibenda.

ANONACEAE.

Anonae variae: *Araticú*.

Anona muricata L. (culta). Mart. in Endl. et Mart. Flor. Bras. Anonac. 4 n. 1.

Anona Marcgravii Mart. l. c. 5 n. 2.
Araticu-ponhé Piso II. 141 ic. 142. Marcg. 93 c. ic. ead. 94. Lib. princ. 117.

Anona Pisonis Mart. l. c. 5 n. 3.
Araticu apé Piso I. 70, II. 142. Marcg. 94.
Anona reticulata Vell. V. t. 130.

Rollinia silvatica. *Araticu do mato*. Mart. l. c. 18 n. 3.
Anona silvestris Vell. V. t. 128.

Anona obtusiflora Tuss. *Atta* s. *Fruta da Condessa*. Mart. l. c. 13 n. 18.

Anona squamosa L. *Atta, Pinha, Fruta da Condessa*. Mart. l. c. 14 t. V. f. I.

Anona reticulata L. Mart. l. c. 15 n. 22.

Anona Cherimolia Mill. Mart. l. c. 15 n. 23.
Cfr. Mart. l. c. 51—58.

Fructus omnium a nonnullis inter horaeos numerantur; mihi haud ita placent. Vinum ex iis parari potest. Cfr. Mart. 59—60.

SAPOTACEAE.

Fructus Sapotearum gummoso-saccharini horaei minorum pentium.

Lucuma Caimito Röm. Schult. *Abíu* v. *Abi.* Mart. Herb. Bras. n. 272 (2).

Labatia reticulata Mart. n. 272 (3).
An Guapéba laurifolia Gomez in Mem. Acad. Uliss. Corr. III. 19 t. 2.

Lucuma Rivicoá Gaertn. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 272. Haec v. affinis est: *Guiti-toroba* Piso II. 137.

Achras Sapota L. *Sapote.*

Achras mammosa L. *Sapote grande.*

Mimusops subsericea Mart. Herb. Flor. Bras n. 272 (20) et 487. Achras Balata Aubl. I. 308?

Achras (?) *Maçarandiba* Pis. I. 120, II. 187. Notic. do Braz. 162. Sapotacea nondum descripta.
Fructus saccharinus pectoralis.

APOCYNEAE.

Hancornia. *Mangaba* Bras. Fructus gummoso-saccharinus vinoso-acidus, deliciosus, crudus aut saccharo conditus comeditur.

Hancornia pubescens Mart. Pl. med. t. 65. *Mangaba brava* Bras.

Hancornia speciosa Gomez. Marcg. t. 122. Pis. I. 76 (non II. 156). Lib. princ. 203.

Ribeira sorbilis Arruda Discurso 47.

HIPPOCRATEACEAE.

Anthodi species plures. *Saputá* Bras. Fructus mucilaginoso-saccharinus comeditur.

CHRYSOBALANEAE.

Moquilea. *Uiti, Oiti* v. *Guiti* Bras.

Moquilea grandiflora Mart. Zucc. Acta Acad. Monac. 1832. 388. ?

Pleragina rufa Arruda Discurso 48. *Oiti-Coroia* Bras. *Guiti-iba* Piso I. 66, II. 136 (alia icon.) Marcg. 114 (prior ic.). *Guiti-guaçú* Lib. Princ. — Huc porro pertinent aliae species:

Pleragina odorata Arruda l. c. *Oiti da Praya* Bras. *Guiti-miri* Piso II. 137. Marcg. 115 ic. duae, dextra repetita.

Pleragina umbrosissima Arruda l. c. *Oiti-cicá* v. *Catingueira* (in deserto Pernambucano).

Caro fructus nucleum involvens saccharina, grumosa, dulcis saporis et odoris. In provincia Pernambucana hi fructus foro veniunt.

LAURINEAE.

Persea gratissima Gaertn. Nees Systema Laurin. 128. *Avacate* Bras.

Arbor ob fructum deliciosum celebris in prov. Paraënsi spontanea, passim colitur. Fructus *Alligator-Pear* vel *Vegetable Marrow* in insulis Anglorum occidentalibus dictus, intra corticem oleosum carnem mollem teneram continens, pro jentaculo cum sale et pipere aut cum saccharo vel syrupo comeditur.

ACIDA.

ZINGIBERACEAE.

Costus L. *Canna de Macaco* Bras.

Costus Pisonis Lindl. Bot. Reg. XI. t. 899.

Paco-Caatinga v. *Canna do Mato* v. *Periná* Piso II. 214. Marcgr. Lib. Princ. 181 et in tabula cum Jacapucajo fructibus.

Costus spicatus Sw. Jacq. Amer. t. 1.

Costus arabicus Vell. Flor. Flum. I. t. 5.

Costus spicatus Rosc. Jacq. Hort. Schönbr. t. 1 *Ubacaya* Marcgr. Lib. Princ. 179.

Costus cylindricus Jacq. Fragm. t. 77. } (Para, Rio Negro.)
Costus Anachiri Jacq. Fragm. t. 78. }

Succus omnium herbae expressus mucilaginoso-acidulus, refrigerans, antifebrilis, in doloribus nephriticis, in gonorrhoea.

BEGONIACEAE.

Begonia L. *Acedinha do Brejo* s. *Erva do Sapo* Bras.

Begonia acida Vell. Flor. Flum. X. t. 49.

Begonia acetosa Vell. ib. t. 50.

Begonia bidentata et sanguinea Raddi quar. piante 30.

Begonia cucullata Willd. Enum. Horti Berol.

Begonia hirtella Link. Enum. Horti Berol. II. 396.

Begonia undulata Otto. Bot. Mag. t. 2723.

Begonia platanifolia Schott. Bot. Mag. t. 3591.

Plures aliae species enumeratis virtute omnino sunt aequales. Succus herbae expressus oxalico-acidulus refrigerans. Usus in catarrho vesicae.

Herba novella cocta olus humectans.

OXALIDEAE.

Oxalis L. *Acedinha, Trevo d'Agoa, Trevo acedo* Bras.

Oxalis repens L. S. Hil. Plant. Usuell. t. 43.

Oxalis fulva S. Hil. l. c. t. 44 (Minas).

Oxalis cordata S. Hil. l. c. t. 45 (Minas, Goyaz.).

Oxalis Barrelieri L. Jacq. Oxalid. 24 t. 3.

Oxalis Martiana Zuccar. in Act Acad. Monac. I. 1831. 203. O. bipunctata Hook., urbica S. Hil, floribunda Link Otto., Violacea Vell. IV. t. 176.

Herba harum specierum pluriumque aliarum acido oxalico pollens vario usui domestico, chemico, medico sese commendat.

Averrhoa Carambola L. *Caramboleiro* Lusit.

Averrhoa Bilimbi L. *Bilimbino* Lusit.

Frutices ex India orientali in hortos Brasiliae introducti passim ob fructus acidulos coluntur. Conf. Rumphii Herb. Amb. I. 115. t. 35. 36.

NOPALEAE.

Cereus Haw. *Jamacarú* Tupin. *Figueira da India* Lusit.

Cereus triangularis Haw. DC. Prodr. III. 468 n. 53.
Cactus triangularis Vell. V. t. 24. Cereus Arrabidae Steud.

Cereus geometrizans Mart. Hort. Monac. *Jamacarú* Marcgr. Lib. Princ. 125.

Cereus pentagonus L. DC Prodr. l. c. n. 46.

Cereus variabilis Pfeif. *Cumbeba* v. *Jamacurú* V. Piso II. 190.

Opuntia brasiliensis Willd. DC. l. c. 474 n. 33. Piso I. 100, II. *Jamacaru* VI. 191.
Cactus arboreus Vell. V. t. 28.

Rhipsalis pachyptera Pfeif.
Cactus Phyllanthus Vell. V. t. 33.
Canambaya Marcgr. Lib. Princ. 381.

Succus fructuum acidulo-dulcis mucilaginosus antiscorbuticus, in systema uropoeticum agit urinamque sanguineo colore tingit. In febribus gastricis et biliosis tamquam refrigerans propinatur. Ulceribus male moratis baccae caro cruda imponitur. Fructus immaturi et caudices contusi item pro fomento in ulceribus immundis inserviunt. Piso II. 188—191. Mart. Reise I. 286 n. 48.

LEGUMINOSAE.

Tamarindus indica L. *Tamarindo.*
Jubay Piso II. 157. Marcg. 107. Introducta arbor passim colitur. Fructus pulpa uti in Europa usitata.

Cassia (Cathartocarpus Pers.) brasiliana L. *Mari-Mari* vel *Canna Fistula dos Grandes.* Jacq. Fragm. t. 85 f. 3.

Cassia (Fistula) sclerocarpa Vogel de Cassia 15 n. 16.
Tapyraçoynana Marcgr. 134. Piso II. 158 addita ic. fructus.

Cassia (Cathartocarpus Pers.) Fistula L. *Canna Fistula.* DC. Prodr. II. 490 n. 10.

(Introducta.) Pulpa fructus.

Cassia (Chamaefistula) medica Vell. Flor. Flum. IV. t. 62. Canna Fistula minor Vogel de Cassia 15 n. 20.

Pulpa fructus.

PASSIFLORAE.

Passiflorae plures. *Murucujá* Piso II. 246 — 248.

Passiflora alata Ait. Piso I. 106, II. *Murucuja* IV. 247. *M. Mamão* Bras.

P. quadrangularis Vell. Flor. Flum. IX. t. 76.

Passiflora maliformis L. Piso I. 107, II. *Murucuja* V. 248.

Passiflora albida Ker. *Sururucuja* (Bah.) Vell. Flum. IX. t 70.

Passiflora edulis Sims. Bot. Mag. t. 1989. Vell. Flor. Flum. IX. t. 89. Piso fig. III. 147. *M. suspiro* Bras.

Passiflora incarnata L.

Passiflora Sururuca Vell. Flor. Flum. IX.

Pulpa fructus acidulo-dulcis gelatinosa, recens vel in syrupum redacta refocillans. Mart. Reise II. 546.

Insequuntur fructus quos veros horaeos Brasiliae dicas, ex parte culti, acidulo-dulces.

BROMELIACEAE.

Ananassa sativa Lindl. Bot. Reg. n. 1068 t. 1081. *Nana* vel *Ananas* Pison. 294. Thevet. 89. cap. 46. Lery 162.

AURANTIACEAE.

(Agrumae. Fructus citrico - acidi.)

Citrus Aurantium L. *Larangeira.* Fructus: *Laranja.*

α. Efferata. C. vulgaris Risso. DC. Prodr. I. 530 n. 5. *Larangeira da terra.*

β. C. Aurantium Risso. DC. Prodr. l. c. n. 4. S. Hil. Fl. I. 338. Subvarietates:

1. *Laranga seleta.*
2. *Laranga da China.*
3. *Laranga Tangerina pequena.*
4. *Laranga Tangerina grande.*
5. *Laranga seca.*
6. *Laranga embiguda.*

γ. C. decumana L. Rumph. H. Amb. L. II. 96.

Citrus medica L. *Limoeiro.* Piso II. 313 sq.

α. Efferata C. spinosissima Mey. Fl. Esseq. 247. *Limoeiro do mato.*

β. C. Limonum Risso. DC. l. c. n. 3. Fructus: *Limaô.*

1. *Limaô azedo.*
2. *Limaô francez.*

γ. C. medica Risso. DC. l. c. n. 1.

1. *Cidreiro.* Fructus acidulus, *Cidra.*
2. *Zamboeiro.* Fructus major iners: Pomum Adami vel assyrium, *Zamboa.*

δ. C. Limetta Risso. DC. l. c. n. *Limeira.*

1. Fructus minor dulcis, *Lima* vel *Lima embiguda.*
2. Fructus major fragrans, *Vergamote.*

Usus varius. Contra febres intermittentes Indiani saepenumero potionem acidam ex aqua, succo Limoni et salo culinari concinatam summo cum effectu propinant.

MYRTACEAE.

Eugenia uniflora L. *Pitangueira* Bras.

Ibipitanga Piso I. 121, II. 187. (alia icon.) Marcg. 116. (prior icon.) Lib. Princ. 339.

Eugenia Michelii Lam. DC. Prod. III. 253. — Plinia rubra Vell. V. t. 46.

Fructus (*Pitanga*) colore, odore, sapore acidulo-dulci sese commendans, refocillans, rite inter pulcherrimas naturae dotes numeratur. Syrupus, vinum, acetum ex eo parantur, vario scopo medico inservientia.

Eugenia brasiliensis Lam. *Grumixameira* Bras.

Cambessedes in S. Hil. Fl. Br. mer. II. 354 t. 152. Eugenia Grumixama Vell. V. t. 71.

Fructus (*Grumixama*) mucilaginoso-saccharinus, quam praecedens siccior, paullisper adstringens, similis usus.

Eugenia cauliflora DC. Prodr. III. 273 n. 88. *Jabuticabeira* Bras.

Camb. l. c. 369 n. 67. Vell. V. t. 62. Mart. Reise I. 286 n. 46.

Fructus (*Jabuticaba*) cum praecedenti sapore et virtute comparandus.

Eugenia crenata Vell. V. t. 39. — *Cambuy* Piso I. 82. II. 178. Marcg. 108. ?

Eugenia variabilis Mart. Pl. Bras. med. et oecon. ined. t. 49. *Guaviroba* (Rio Grande do Sul.)

Eugenia xanthocarpa Mart. ibid. t. 50. *Guaviroba* (ibid.).

Eugenia myrobalana DC. Prodr. III. 275 n. 127. *Guaviroba* (Pará).

Eugenia ligustrina Camb. l. c. II. 359. *Pitangueira do mato* (S. Paulo).

Eugenia Uvalha Camb. l. c. 367. *Uvalha* (S. Paulo).

Eugenia dysenterica Mart. DC. Prodr. III. 268 n. 40. *Cagaiteira* Bras.

Hae species et plures aliae fructus largiuntur acido-dulces plus minus saccharinos simulque subadstringentes, cultura exculti optimos horaeos sistent. E. Uvalha et dysenterica acido malico pollent. (Quid *Guabiraba* Piso I. 73.?)

Myrtus mucronata Camb. l. c. II. 294 t. 141. *Guabiroba* (Rio Grande do Sul).

Idem de hac valet, quod de praecedentibus.

Psidium. *Araçá* Tupinice.

Psidium Araça Raddi. DC. Prodr. III. 235 n. 20. *Araça-iba* Tupin. *Araça-mirim* Piso I. 74. II. 151. Marcg. 62. Lib. Princ. 215. Psidium pyriferum Vell. V. t. 48.

Psidium Guajava Raddi. Mart. Reise III. 1130 n. 12.
- α. pyriferum DC. Prodr. III. 233 n. 9. Sloane Jam. II. 161. *Guaiába* Piso II. 153.
- β. pomiferum DC. l. c. 234 n. 10. *Araça-guaçú* Piso II. 152. Marcg. 105.

Psidium acutangulum Mart. DC. l. c. 233 n. 3. *Guaiaba-rana* i. e. sylvestris (Rio Negro).

Psidium incanescens Mart. l. c. 234 n. 14 (S. Paulo).

Psidium pubescens Mart. l. c. n. 17 (Pernambuco).

Psidium Cattleyanum Sabine DC. l. c. 336 n. 33. *Guabiroba* Mart. Reise II. 554 n. 59.

Psidium albidum Camb. l. c. II. 283.

Psidii species allatae et aliae fructus praebent edules, insignes materie saccharina, mucilaginosa et adstringente feliciter nupta, qui nutriunt et ventriculum roborant. Crudi fructus inter horaeos magni aestimantur, cocti vel saccharo conditi praeferendi.

Jambosa vulgaris DC. Prodr. III. 286. *Jambo* Lusit.

Eugenia Jambos L. Vell. V. t. 45. (Ex India introducta.)

ROSACEAE.

Rubus. *Silva* Lusit.

Rubus jamaicensis L. DC. Prodr. II. 564 n. 72.

Mart. Herb. Fl. Bras. n. 225. — Rubus idaeus Vell. (non L.) V. t. 81.

Rubus brasiliensis Mart. Hort. Mon. 1829.

Rubus occidentalis Vell. V. t. 82.?

Fructus Ruborum brasiliensium (*Amoras de Silva*) acido malico, saccharo, gelatina, extractivo rubro rel. compositi cum optimis rubis nostratibus certant sapore et in efficiendis syrupo, gelatina, roob, aqua destillata rel. efficacia.

POMACEAE.

Pyrus Cydonia L. *Marmelleiro* Lusit. supra 15.
Fructus (*Marmellas*) saccharo conditi (*Marmelada*).

ANACARDIACEAE.

Mangifera indica L. *Mangueira* Lusit.
Mangaiba Piso II. 156. Vell. II. t. 134.
Arbor ex India orientali introducta ubique inter tropicos culta fructum (*Manga*) largitur acidulo-saccharinum, terebinthinaceum, qui vere ambrosius!

Anacardium occidentale L. *Acajú, Cajú, Oacajú.* Vide supra 15.
Succus pedunculi fructiferi expressus, refrigerans, antiphlogisticus. Vinum. Acetum. Mart. Reise I. 286 n. 54.

BURSERACEAE.

Spondias venulosa Mart. Mss. *Myrobalana, Imbuzeiro.*
Acaya Piso II. 139. Marcg. 129. Notic. do Braz. 163.
Spondias Myrobalanus Vell. Flor. Flum. IV. t. 185.

Spondias tuberosa Arruda discurso. *Imbuzeiro, Ambú, Imbú, Umbú. Umbu* Piso I. 78, II. 167. (alia ic.) Marcg. 102. Notic. do Braz. 163. Mart. Reise II. 718, 731.
Succus fructus expressus in febribus propinatur; cum saccharo et lacte in deserto prov. Bahiensis et Pernambucanae secundarum mensium deliciae: *Imbusada.*

SAPINDACEAE.

Melicocca bijuga Jacq. *Canopy-Tree* Angl.
Arbor ex insulis antillanis introducenda. Fructus carne suaviter vinoso-acidula et nucleo amygdalino se commendat.

CLUSIACEAE.

Mammea americana L. *Abricot* Lusit.
Arbor ex insulis antillanis in provincias septentrionales introducta. Fructus magnus odore et sapore carnem Pruni armeniacae assimilat. Semina dicuntur anthelmintica.

CANELLACEAE.

Platonia insignis Mart. *Pacory* Bras. vide supra 17.

Caro baccae magnae praesertim saccharo condita inter egregias Vertumni dotes celebratur.

CRESCENTIEAE.

Crescentia Cujete L. *Cuieté*. Piso II. 173. Marcg. 123. *Choyne* (rectius *Choyté*) Thevet 104. Lery edit. lat. 1586. 154. Vell. Flor. Flum. VI. t. 103. Pulpa fructuum immaturorum saccharo condita contra febrium aestum; maturorum cataplasmate ad placandos capitis dolores.

Insequuntur varii fructus minorum gentium, feri.

URTICACEAE.

Pourouma cecropiaefolia Mart. Reise III. 1130 n. 13. *Ambaúva do vinho* s. *mansa* Bras. (Pará, Rio Negro.)

Pourouma acuminata Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 93.

Pourouma bicolor Mart. ibid. t. 94.

Fructus acidulo-dulcis mucilaginosus, boni saporis, refocillans, arboris cultura excolendus.

OLACINEAE.

Ximenia americana L. *Ameixeira da terra. Espinheiro d'Ameixa.*

Fructus subacido-dulcis, *Ameixa*, saccharo conditur. Mart. Reise II. 554 n. 59. — Vell. IV. t. 5.

MALPIGHIACEAE.

Byrsonima verbascifolia DC. *Murecí* Piso I. 79. II. 171. Marcg. 118.

Byrsonima chrysophylla Kunth.

Byrsonimae variae species fructus carnosos acidulo-saccharinos ferunt, qui saccharo conditi febricitantibus porriguntur.

RUBIACEAE.

Genipa brasiliensis Mart. *Janipabeiro* Bras.
Janipaba Piso I. 67. II. 138. Marcg. 92. *Genipat* Thevet 59 cap. 12. Notic. do Braz. 165. — Genipa americana Vell. Fl. Flum. II. t. 141. (non Lin.)

Fructus maturi subausteri, putridi mespilis nostratibus comparandi. Saccharati quam crudi lautiores; contra fluxum ventris (uti poma Psidii) feliciter exhibentur: Piso.

AMARA.

Amara amylacea.

LICHENES.

Cladonia sanguinea Mart. *Canduá* Bras. (Minas.)
Mart. Icon. Sel. Plant. Crypt. Bras. t. 11 f. 1. Eschweiler in Mart. Flora Bras. I. 263. Mart. Reise II. 552 n. 43.

Cladonia neglecta, pyxidata, pityrea et aliae Eschw. l. c. 265, 266 n. 3, 4 et 5.

Hae species omnes cum aqua et saccharo tritae julep constituunt, quod contra aphthas infantium praescribitur.

Amara cum mucilagine.

LYCOPODINEAE.

Selaginella convoluta Spring. in Endl. Mart. Fl. Bras. Musci et Lycop. 131 n. 23. — Lycopodium hygrometricum Mart. Reise II. 792.

Herba hujus stirpis, mira virtute hygrometrica praeditae, in prov. Bahiensi et Pernambucana provenientis, continet materiam extractivam sapore amaricante vellicante, salinis particulis, mucilagini rel. nuptam. In membranas mucosas, praesertim systematis uropoëtici et sexualis agit. Potentiam virilem amissam ejus decocto reduci posse, perhibent, quo jure nescio; id tamen moneo, in India orientali plures Lycopodineas fabricae similis, pro valente aphrodisiaco haberi.

NYCTAGINEAE.

Boerhavia hirsuta L. *Erva Toustão* Bras. *Tangaraca* Ill. Piso II. 303. Marcg. 60. ic. superior.

Herbae succus amaricans, resolvens, in induratione hepatis, ictero rel.

COMPOSITAE.

Elephantopus Martii Grah. *Suçuáya* Tupin. v. s. 9.

Radix pollet extractivo amaro, principio stryphno*) ferrum viride praecipitante, resina balsamea, kali malico rel. Decoctum in febribus asthenicis. Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 97.

SCROFULARINEAE.

Vandellia diffusa L. *Caa-Ataya* Tupin. *Mata Canna*, *Purga de João Paez*, *Orelha de Rato* Bras.

Caa-ataya Piso I. 110, II. 230. Marcg. 32. Lib. Princ. 459.

Herba amara, mucilaginosa, acridula, purgans, urinam movens, nostrati Gratiolae officinali substituitur. Mart. Reise III. n. 9.

Amara cum principio adstringente.

APOCYNEAE.

Hancornia pubescens Mart. *Mangaba brava* supra 25.

Extractum corticis principio amaro excellit et stryphno. Contra hepatis et intestinorum infarctus. Mart. Reise II. 789. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 65.

Habsburgia comans Mart. l. c. t. 100.

Frutex prov. Bahiensis et Minarum corticem largitur, qui eadem ratione fere ac praecedentis usurpatur.

---

*) Brevitatis studiosi materiam scytodephicam, quam Tannin vocant, vocabulo „Stryphnum" a graeco στρυφνῷ, adstringente, appellabimus.

RHAMNEAE.

Discaria febrifuga Mart. *Quina* Bras. (Rio Grande do Sul.)

Cortex, praesertim radicis, continet principium extractivum amarum, stryphnum, resinam sapore vellicante, gummi coloratum, principium rubri coloris quod rubro cinchonico affine. Extractum inter eximia remedia antifebrilia et roborantia rite numeratur. Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 8.

Zizyphus Joazeiro Mart. v. supra 23.

Cortex amarus adstringens, admista quadam acredine, vomitum excitat.

MELIACEAE.

In omne systema, praesertim in vasa sanguinis majora, in lien, renes et uterum agunt, excitando, expurgando, abstergendo; vermes expellunt.

Guarea. *Yito*, *Utúauba* Bras.

Guarea purgans S. Hil. Pl. usuell. n. 71. *Marinheiro* Bras. *Jito* II. Piso II. 170. Marcg. 120. Lib. Princ. 227.
Guarea trichilioides Vell. IV. t. 7.

Cortex amaro-acridulus, adstringens, purgans, abstergens, anthelminticus. Usus contra tumores arthriticos extremitatum in balneis notus. Extractum parca dosi in arthritide sese commendat; infusum clysmate mucilaginoso contra ascarides. In uterum vehementer agit et eum expurgat; majori dosi abortum movet.

Guarea spicaeflora Juss. in St. Hil. Fl. Br. mer. II. 81. *Marinheiro de folha larga*, *Tuaiussú*, *Utuapoca* Bras.
Guarea cernua Vell. IV. t. 9. Mart. Reise II. 547.

Cortex, praecipue radicis, amarus, adstringens, incidens, inter egregia systematis lymphatici excitantia numeratur in hydrope, erysipelate chronico, cutis induratione, ictero, viscerum abdominalium infarctu, syphilitide. Uti antecedens magna cum cautela adhibeatur.

Guarea Aubletii Juss. Mém. Mus. d'hist. nat. XVIII. 1830. 283. *Bois Balle*, Gallice. In provincia Paraënsi provenit.

Trichilia Guara Aubl. Flor. Guj. I. 392.

Cortex radicis vomitum et abortum excitat.

Moschoxylon catharticum Mart. *Marinheiro de folha miuda* Bras. (Minas, Bahia, Pernambuco.)

Jito I. Piso II. 169. Marcg. 79 et ic. 80. Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 71. Reise II. 546 n. 16.

Cortex radicis decocto et clysmate in febri tertiana, hydrope; amarus est et incidens.

Cabralia Canjerana Mart. *Canjerana*, *Canjarana* Bras. Trichilia Canjerana Vell. IV. t. 102. Usus praecedentium.

RUTACEAE.

Harum alia, quam praecedentium, agendi ratio; minus exturbant, roborant magis, membranas mucosas incitant absque irritatione sanguinis, in complicatione psorica reliquis amaris praehabendae.

Ticorea febrifuga. *Tres folhas brancas*, *Quina* Bras.

Ticorea febrifuga S. Hil. Pl. usuell. t. 16 et T. jasminiflora S. Hil. Fl. Br. mer. I. 92.

Sciuris multiflora Nees et Mart. N. Act. Acad. Nat. Cur. XI. t. 18 a.

Costa aromatica Vell. I. t. 48.

Cortex amarus, adstringens, subacris contra febres intermittentes, infuso et extracto propinatur.

Hortia brasiliana Vell. *Quina do Campo* Bras. (Minas.) S. Hil. Pl. usuell. t. 17.

Cortex amaro-adstringens febrifugus.

Simaba ferruginea S. Hil. *Calunga* Bras. (Minas, Bahia, Pernambuco.)

Picrodendron Calunga Mart. Mss. in Richard, Bot. méd. edit. germ. autore Kunze II. 1140.

Cortex radicis et caudicis amarus, cum acredine quadam et adstringens, decocto et pulvere contra dyspepsiam, febres tertianas, hydropem ingruentem. Clysmate in diarrhoea asthenica et laxitate intestini recti. Mart. Reise II. 790 n. 11.

Esenbeckia febrifuga Mart. *Tres folhas vermelhas*, *Larangeira do Mato*, *Quina* Bras. (S. Paulo, Rio de Janeiro.) *Angostura* (Bahia).

Mart. Nov. Gen. et Spec. III. t. 233. Reise II. 789 n. 7.

Evodia febrifuga S. Hil. Pl. usuell. t. 4.

Cortex egregia amaritudine pollens pro Angosturae vel Cascarillae cortice adhiberi potest. In dyspepsia, tardidate ventriculi, febri intermittente eximia praestare ipse testis sum.

Esenbeckia intermedia Mart. Herb. Flor. Bras. n. 1065. *Apogitagoara* Bras. (S. Paulo).

Idem corticis usus ac praecedentis, sed multo debilius remedium.

Simaruba versicolor S. Hil. *Paraiba* Bras. (Minas.)

S. Hil. Pl. usuell. t. 5.

Cortex principio amaro, stryphno et acri subnarcotico pollet. Ab incolis inter venena numeratur. Decoctum clysmate adhibitum vermes expellit. Pulvis crinibus inspersus pediculos enecat. Extracti et infusi usus internus contra infarctus viscerum, hydropem, impetigines (*Sarnas*). Decoctum balneis admixtum praecipue contra impetigines maxime syphiliticas praedicatur. Remedium caute adhibendum.

Amara proprie dicta (antecedentibus mitiora).

CASSUVIEAE.

Picramnia ciliata Mart. Herb. Flor. Bras. n. 297. *Páo Pereiro* (Rio de Janeiro).

Arbor in prov. Sebastianopolitana, Espiritu Santo et Minarum proveniens cortice gaudet amaro-aethereo acridulo, febrifugo, qui iisdem indicationibus praescribi meretur, quibus Cascarilla.

SOLANEAE.

Solanum Pseudoquina S. Hil. *Quina* (S. Paulo).

Cortex inter optima amara febrifuga numerandus pollet principio extractivo amaro, resina in aqua ex parte solubili, materia azotica kalio et calci nupta, materia pingui, calce oxalica et phosphorica, ferro rel. S. Hil. Pl. usuell. t. 21.

Cestrum Pseudoquina Mart. *Quina do Mato* (Rio Grande do Sul). Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 9.

Cortex fruticis amarissimus cortici peruviano saepe substituitur, nec in febribus solum sese commendat intermittentibus, sed in statu atonico universali, anaemia, digestionis debilitate, hydrope rel. Amarum principium, quod huic cortici subest, sui generis, combinatur chlorophyllo, resinae β, principio extractivo flavo-tingenti, saccharo, gummi, kali sulfurico et carbonico, kali muriatico, calci carbonico et silici. Extracto et decocto hauritur.

APOCYNEAE.

Valleziae species? *Páo Pereiro, Ubá-assú, Camará de Bilro, Camará do Mato, Páo forquilha, Canudo amargoso* Bras. (Rio, Espiritu Santo, Minas, Bahia.)

Cortex arboris sylvestris nondum rite descriptae pura amaritudine excellens, tonicus, antifebrilis, quem medici Sebastianopolitani summa laude prosequuntur. Continet (viris cl. Goos et Fischer observantibus) materiem alcaloideam sui generis (jam a cl. Ezechiel Correa dos Santos distinctam et *Pereirine* dictam) cui virtus medica prae aliis debetur. Cum acidis salia neutra constituit in aqua et alcohol facile solvenda. Extractivo amaro-resinoso in cortice nupta est ideoque difficilius pura constituitur. Hoc nec aqua nec aethere solvitur, facile autem alcohole. Porro gummi et amylon adsunt. In cinere reperiuntur: kali, terrae calcarea, magnesia, silicea, alumina, oxyda ferri et cupri, acida sulfuricum, muriaticum, phosphoricum et carbonicum. Cfr. De Simoni in Revista medica flumin. III. 1837 et 341 et Ant. Moniz de Sousa ibid. 1838 Julio; porro Göppert, Flottow et Nees ab Esenbeck in tractatu de Páo Pereiro, quo Ern. Guil. Martio, auctoris hujus libelli patri, de x lustris in matrimonio feliciter peractis gratulantur. Vratislav. 1842. 13. Febr.

Coutinia illustris Vell. *Quina de Camamú* Bras.
Mariano Vellozo Quinographia portugueza Lisb. 1799. 12mo. 166 t. 10 a et b.

Cortex amarus nomine *Quina* in febribus intermittentibus a medicis Bahiensibus praescribitur infuso, decocto, extracto.

LOGANIACEAE.

Strychnos Pseudoquina S. Hil. *Quina do Campo* (Minas, S. Paulo).
S. Hil. Pl. usuell. t. 1. Mart. Reise II. 549 n. 25.

Cortex egregia amaritudine pollet eaque miti, ita ut ejus usus tam in febribus intermittentibus, quam in hepatis, lienis et glandularum mesaraicarum infarctu, digestionis debilitate rel. indicetur.

GENTIANEAE.

Lisianthus. *Gentiana* Bras. (Minas).

Lisianthus pendulus Mart. Nov. Gen. Pl. Bras. II. 94 t. 172.

Lisianthus amplissimus Mart. l. c. t. 175.

Callopisma. *Centaurea* Bras. (Minas).

Callopisma perfoliatum Mart. l. c. t. 183.

Callopisma amplexifolium Mart. l. c. t. 184.

Radices harum herbarum (*Raiz amargosa* Bras.) in montosis Brasiliae centralis crescentium amarae, nostratium Gentianarum vires prae se ferunt. Decocto vel infuso porriguntur, aut fructibus Xylopiae grandiflorae et cortice Aurantiorum combinatae infuso vinoso. Mart. Reise II. 545 n. 7.

Cutubea densiflora Mart. l. c. t. 185.

De hac planta, idem valet, quod de praecedentibus.

Tachia gujanensis Aubl. *Raiz de Jacaré-arú* v. *Cafe-rana* Bras. (Rio Negro).

Radix amarissima, tonica, incidens. Mart. Nova Gen. II. 119. t. 189. Reise III. 1129 n. 9.

EUPHORBIACEAE.

Mabea fistuligera Mart. *Canudo de Pita* Bras. (Minas).
Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 41.

Cortex amarus subadstringens resolvens, febrifugus, praecedenti virtute accedens.

MENISPERMEAE.

Remedia haec amara e Menispermearum ordine constituuntur materie extractiva amara, resinosis particulis, porro aliis, mucilaginoso-dulcibus, quibusdam azoticis et ex parte alcaloideis sui generis. Inter tonica mitiora et resolventia numerantur, praesertim contra infarctus viscerum abdominalium, morbos renum et vesicae conducunt.

Cissampelos. *Caapeba* Tupin. et Bras.

Cissampelos glaberrima S. Hil. Fl. Br. mer. I. 57.

Caapeba, *Erva de Nossa Senhora, Sipo de Cobras* Piso I. 94. II. 261. 312. Marcg. 26.

Cissampelos ebracteata S. Hil. *Orelha de Onça* S. Hil. Pl. usuell. t. 35.

Cissampelos ovalifolia DC. *Orelha de Onça* S. Hil. l. c. t. 34.

Radix harum specierum amara, cum acredine quadam, diaphoretica, diuretica, contra febres intermittentes et serpentum morsum infuso propinatur. Mart. Reise

Cocculus. *Abúta*, *Abútua*, *Bútua* Tupin. et Bras.

Cocculus (?) Filipendula Mart. *Abúta miuda* (Minas). Mart. Herb. Flor. Bras. n. 510 (2).

Radix antidotalis, contra morsum serpentum.

Cocculus platyphylla S. Hil. Pl. usuell. t. 42. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 510. Reise II. 553 n. 47.

Cocculus cinerascens S. Hil. Fl. Br. mer. I. 59.

Cissampelos Abutua Vell. X. t. 140. ?

Cocculus Martii S. Hil. et Tulasne Ann. Sc. Nat. XVII. 135.

Cissampelos tomentosa Vell. X. t. 143. Cocculus toment. Herb. Fl. Br. n. 510 (10).

Hae tres species in provinciis orientalibus proveniunt.

Abuta (Cocculus?) rufescens Aubl. l. c. t. 250 (Para, Rio Negro).

Radix et ligni cortex praecedentium inter egregia remedia amara incidentia in debilitate ventriculi, apepsia, febri intermittente asthenica, infarctu viscerum abdominalium rel. praedicantur.

Cocculus Imene et C. Pahni Mart. Herb. Flor. Bras. n. 510 (6) et (9).

Radix emetica ad veneficium Urari ab Indis Juri adhibetur.

RUTACEAE.

Simaruba officinalis DC. *Marubá* (Pará, Rio Negro).

Quassia Simaruba L. Simaruba amara Aubl. Flor. Gujan. t. 331. 332.

Radix et cortex Simarubae. Usus notus.

Quassia amara L. *Quina de Cayenna* (Bahia, Pará).

E Cajenna introducta passim in hortis Bahiensibus et Paraënsibus colitur.

Radix, lignum, cortex Quassiae. Usus uti in Europa.

Amara aromatica.

COMPOSITAE.

Baccharis. *Carqueja* Bras.

Baccharis triptera (menda typogr. trimera) DC. Prodr. V. 425. n. 199. *Carqueja amargosa* Bras. (Rio, S. Paulo, Rio Grande do Sul, Minas.)

Quina de Condamine Vell. Quinographia portugueza t. 6.

Cacalia amarga ibid. t. 7 fig. sinistra. Cacalia decurrens Vell. Flor. Flum. VIII. t. 72.

Baccharis Gaudichaudiana DC. l. c. 424 n. 189. *Carqueja doce* Bras. (ibidem).

Cacalia doce Vell. Quinographia t. 7 fig. dextra.

Cacalia sessilis Vell. Flor. Flum. VIII. t. 73.

Baccharis articulata Pers. DC. l. c. n. 190.

Herbae amarae resinoso-aromaticae Absinthio nostrati rite substituuntur. Extractum in dyspepsia, debilitate ventriculi et universali, anaemia post profluvia cruenta cum cortice Aurantiorum in pillulis porrigendum.

Baccharis ochracea Spreng. *Erva Santa.* (Rio Grande do Sul.) Spreng. S. Veg. III. 460 n. 17. Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 45.

Usus herbae amaro-aromaticae uti in praecedentibus.

Mikania officinalis Mart. DC. Prodr. V. 189 n. 17. *Coraçaô de Jesu.* (S. Paulo, Minas.)

Cacalia cor Jesu Vell. VIII. t. 71.

Decoctum et extractum herbae elementis amaris, mucilaginosis et resinosis pollens contra febres intermittentes et debilitatem ventriculi, virtutibus cortici Cascarillae comparatur. Mart. Reise I. 283 n. 29.

Mikania opifera Mart. DC. Prodr. V. 197 n. 77. *Erva de Cobra* (S. Paulo, Minas).

Eupatorium crenatum Gomez in Mem. Ulissip. Corresp. 1812. 23.

Succus herbae expressus amaricans, aromaticus, externe et interne contra morsum serpentum. Herba contusa affuso oleo vulneribus venenatis imponitur. Mart. Reise I. 279 n. 2. — Cacalia cordata Vell. VIII. t. 53.?

Eupatorium Ayapana Vent. DC. Prodr. V. 169 n. 188. *Ayapána* Bras.

Succus recenter expressus vel herbae infusum interne sumtum, vel fomenta ex herba vulneribus a morsu serpentum imposita inter egregia alexipharmaca praedicantur. Mart. Reise I. 279 n. 1.

Acanthospermum xanthioides DC. Prodr. V. 521 n. 1. et

Acanthospermum hirsutum DC. l. c. 522 n. 2. sunt

varietates unius speciei: Acanthospermi brasili Schrank. Pl. rar. horti Monac. II. t. 53. Orcya adhaerescens Vell. VIII. t. 83.

Herba amara mucilaginosa aromatica, tonica, diuretica, diaphoretica, infuso in diarrhoea ex refrigerio rel. Semina gallinis noxia.

Ageratum conyzoides L. *Mentrasto* Bras.

Herba amarore, mucilagine et resina pollens, infuso saepe adhibetur tamquam tonico-incitans in diarrhoea, colica flatulenta a refrigerio. — Cacalia Mentrasto Vell. VIII. t. 83.

Trixis antimenorrhoea Mart.

Trixis divaricata Spreng. β. exauriculata DC. Prodr. VII. 69 n. 5. Prionanthes antimenorrhoea Schrank. Pl. rar. horti Monac. II. t. 51. — Castra regia Vell. VIII. t. 79.

Infusum radicis et herbae unguinoso-aromaticae contra nimiam metrorrhagiam in prov. Minarum adhibetur.

AMARANTACEAE.

Gomphrena officinalis Mart. *Para tudo* Bras. (S. Paulo, Minas.) Bragantia Vandelli.

Radix aromatico-amara contra dyspepsiam, debilitatem universalem, spasmos intestinorum, diarrhoeam, febres asthenicas. Mart. Reise I. 280 n. 7. Nova Genera et Spec. Plant. II. 2. t. 101.

RUBIACEAE.

Guettarda Angelica Mart. *Raiz d'Angelica do Mato* Bras. (Rio, Minas.)

Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 54.

Radix et praecipue ejus cortex amarus subacri-aromaticus, incidens, antidotalis, antifebrilis, praesertim contra diarrhoeam bovum et equorum porrigitur.

MAGNOLIACEAE.

Drimys granatensis L. *Casca d'Anta* Bras. (Rio, S. Paulo, Minas, Goyaz, Bahia.)

Drimys Winteri Mart. Reise I. 280 n. 8. Vell. V. t. 132. S. Hil. Pl. usuell. t. 26—28.

Cortex (passim *Melambo* s. *Malambo* dictus) amarus, aromatico-acris, principio pollet extractivo amaro, resina amara, oleo aethero amaro, materia gummosa azotica; iisdem indicationibus ac verus cortex Winteranus in usum vocatur.

CANELLACEAE.

Cinamodendron axillare Mart. *Paratudo, Casca de Paratudo, Erva moira do Sertâo* Bras. (Minas, Bahia.)

Canella (?) axillaris Nees et Mart. Nov. Act. Acad. N. C. XII. 18. t. 3.

Cinamodendron Endl. Gen. 1029 n. 5458.

Cortex amaro-aromaticus, acridulus, antiscorbuticus, tonicus, infuso porriguntur in febribus atonicis, gargarismate in debilitate tonsillarum.

AURANTIACEAE.

Citrus Aurantium L. *Larangeira* Lusit. v. supra 29.

Cortex Aurantiorum et poma Aurantiorum immatura, usu noto.

ANACADRIACEAE.

Mangifera indica L. *Manga* Lusit. v. supra 33.

Cortex, praesertim radicis, aromatico-amarus, cum acore; contra diarrhoeam, leucorrhoeam, dysenteriam usitatus.

BURSERACEAE.

Spondias venulosa Mart. *Acaya* Tupin. v. supra 33.

Cortex praesertim ramorum juniorum adstringenti-aromaticus contra diarrhoeam, dysenteriam, blennorhoeam urethrae et palpebrarum, ulcera faucium, tam interne quam externe infuso et decocto, gargarismate, fomento, lotione, collyrio rel. adhibetur.

XANTHOXYLACEAE.

Xanthoxylum Langsdorffii Mart. Herb. Flor. Bras. n. 100. *Tembetarú* Bras.

Xanthoxylum hyemale S. Hil. Pl. usuell. t. 37. *Coentrilho* (Rio Grande do Sul).

Cortex, praesertim radicis, contra dolores dentium et aurium adhibetur, decocto, lotione, fomento. Amaro-acris est et subaromaticus.

ADSTRINGENTIA.

Adstringentia, stryphno praevalente.

ALISMACEAE.

Sagittaria. *Erva do Pantano* Lusit.

Sagittaria palaefolia Nees et Mart. N. A. Acad. Nat. Cur. XI. I. 21.

Sagittaria rhombifolia Cham. in Linnaea X. (1836) 219.

Sagittaria brasiliensis Mart. — S. sagittifolia Vell. X. t. 31. (non L.)

Rhizoma plantarum aquaticarum scatet stryphno, quod ferrum coeruleo colore praecipitat, et inulino. Pulvis in cataplasmate adstringente, e. g. ad curandas hernias, cum aliis medicamentis adstringentibus et aromaticis adhibetur; nec non conficiendo atramento inservit. Folia magna, coriacea, sebo bovino illinita a pastoribus tamquam medicamen emolliens in usum vocantur.

POLYGONEAE.

Coccoloba uvifera L. *Baga da Praya* Lusit. (*Seaside-Grape* Angl.)

Coccoloba crescentiaefolia Cham. et Schl. in Linnaea VIII. (1834) 134. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 65. — Polygonum arborescens Vell. IV. t. 43. *Tangara-guaçu-caa* Lib. Princ. 191.

Utriusque fruticis fructus in calyce baccante extractum suppeditat stypticum, quod contra diarrhoeam languidam, leucorrhoeam, profluvia passiva rel. laudatur.

MYRSINEAE.

Cybianthus detergens Mart. Herb. Fl. Bras. n. 452. (11.) Plant. med. et oecon. Bras. ined. t. 43.

Cortex adstringens et gummosus externe in balneis et lotionibus contra impetigines conducit. In prov. Minarum usitatur.

SAPOTACEAE.

Chrysophyllum Buranhem Riedel. *Buranhem, Guaranhem* Tupin. *(Mohica?)*

Cortex arboris sat procerae, *Monesia* quoque dictus, nuper in Europam introductus et pro adstringente summae efficaciae laudatus. Crassus est, compactus, gravis, sapore primum dulci dein austero, styptico. Continet multum acidi pectici, acidum stryphnicum, materiam sui generis a cl. viris Derosne, Henry et Payen *monesinum* nuncupatam, acrem, saponino et parilhino affinem, porro glycyrrhizinum, chlorophyllum, ceram, stearinum, aromatis vestigia, materiam rubro tingentem, quae illi in cortice Cinchonae similis dicitur, acidum malicum, calcem malicam et phosphoricam, magnesiam phosphoricam, kali sulfuricum, muriaticum et malicum, oxyda ferri et mangani, siliceam.

Extractum in Brasilia e cortice paratum ad nos foro veniens, $\frac{1}{4}$ corticis partem prae se fert, in aqua totum solubile, magna parte in alcohole vix in aethere, inter medicamina numeratur stryphno (ferrum coeruleum praecipitante) pollentia et adstringentia, simul partibus mucilaginosis et dulcibus donata ideoque in corpus humanum mite agentia.

Usus apud Brasilienses contra leucorrhoeam, diarrhoeam atonicam, metrorrhagiam, inflammationes chronicas membranarum mucum parantium rel. in Gallia et Germania nuperrime non sine laude repetitus.

Achras Sapota L. *Sapote* v. supra 25.

Cortex amaro-adstringens febrifugas. Semina amara, et stryphno et mucilagine pollentia contra debilitatem membranarum mucum paranticum, praesertim systematis uropoetici (in dysuria, catarrho vesicae), decocto, lotione, injectione.

SYMPLOCEAE.

Symplocos platyphylla. *Sete Sangrias.* (Rio Grande do Sul.) Stematosiphon platyphyllum Pohl. Icon. Pl. Bras. ined. II. t. 175.

Cortex radicis amarus, adstringens, mucilaginosus, febri tertiana laborantibus in decocto propinatur.

Barberina tetrandra Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 53.

Corticis usus idem ac praecedentis in prov. Minarum.

MYOPORINEAE.

Avicennia nitida L. *Sereiba-tinga* Tupin. *Mangue amarello* vel *branco* Bras. *Çercibuna* Piso II. 204. Marcg. 127. *Çerciting a* Lib. Princ. 213. — Vell. VI. t. 56.

Cortex arboris maritimae uti cortex quercus nostratis adstringens in medicina et in opere coriario adhibetur.

RUBIACEAE.

Genipa brasiliensis Mart. *Jenipabeiro* Bras. supra 34.

Janipaba Piso I. 67. II. 138. Marcg. 92.

Succus fructus immaturi stryphno scatet; ad ulcera syphilitica exsiccanda lotionibus et fomentis conducit.

COMBRETACEAE.

Laguncularia racemosa Gaertn. *Canapomba* Tupin. *Mangue branco* Bras.

Çerciba Piso II. 204 (in descriptione floris verosimiliter de Avicennia agitur). Bucida Buceras Vell. (non L.) IV. t. 87.

Usus uti Avicenniae nitidae.

RHIZOPHOREAE.

Rhizophora Mangle L. *Guaparaiba* Tupin. *Mangue vermelho, verdadeiro* aut *amarello* Bras.

Guaparaiba Piso II. 204. Marcg. 118. Mart. in Endl. et Mart. Flor. Bras. Tab. physiogn. 12. explic. XLIV. sequ. — Vell. V. t. 1.

Cortex arboris maritimae, viviparae, praeter multum stryphni materiam rubro tingentem continet. Inter egregia adstringentia rite enumeratur, usu tam medico quam technico.

GRANATEAE.

Punica Granatum L. *Romeira* Lusit.

In provincias australes e Lusitania introducta passim colitur. Cortex radicis decocto contra taeniam primo a Bern. Ant. Gomes, medico Lusitanico, commendatus est. — Cortex fructus Granatorum s. Psidii s. Malicorium Off. et Flores Balaustiorum s. Granati Off. eadem ratione atque in Europa passim in Brasilia australi adhibentur.

ANONACEAE.

Rollinia salicifolia Schlecht. *Araticu* Bras. (S. Catharina, Rio Grande do Sul.) Mart. in Endl. et Mart. Fl. Bras. Anonac. 21. n. 10 et Plant. med. et oecon. Bras. ined. t. 48.

Cortex arboris adstringens, indicatione tonicorum, externe in fomentis, clysmatibus rel., interne decocto conducit.

Anona spinescens Mart. supra 13.

Semina in pulverem redacta contra phthiriasin infantibus et pecoribus insperguntur. Simili ratione et plurimarum Anonarum semina adhiberi possunt. Mart. Reise II. 555 n. 63.

DILLENIACEAE.

Curatella Sambaiba S. Hil. *Sambaíba* s. *Sambaüva* Bras.
S. Hil. Plant. usuell. t. 24. Flor. Bras. mer. I. 22.

Cortex arboris adstringens ad opera coriaria et in medicina domestica ad purificanda vulnera et apostemata, praesertim bestiarum.

MALPIGHIACEAE.

Byrsonima verbascifolia L. *Murecí* Bras.
Juss. in S. Hil. Flor. Bras. mer. III. 75. *Mureci* Piso I. 79. *Mureci-guaçu* II. 171. Marcg. 118. *Murusi* Notic. do Braz. 162.

Byrsonima chrysophylla Kunth. Juss. l. c. 81.
Mureci-penima Piso II. 171.

Cortex utriusque speciei querneo nostrati substituitur, nec non nigrum tingendo inservit.

ERYTHROXYLEAE.

Erythroxylon suberosum S. Hil. Pl. usuell. t. 69. Mart. in Abh. der K. Bayer. Akad. III. (1840) n. 20.

Erythroxylon areolatum Vell. IV. t. 175. Steudelia brasiliensis Spreng. Neue Entd. III. 59.

Erythroxylon tortuosum Mart. l. c. n. 32.

Cortex utriusque fruticis, *Fruta de pomba* Bras. dicti, stryphno pollet, quod ferrum caeruleo colore praecipitat. Ad fomenta adstringentia, roborantia pariter atque ad tela nigro tingenda adhiberi potest.

SAMYDEAE.

Casearia adstringens Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 42.

Arbor paraënsis principium adstringens in cortice offert, mucilagini et acrimoniae cuidam nuptum. Usus in ulceribus male moratis, cataplasmate et lotione. Mirifice mundificare et tonum partium succrescentium augere dicitur.

TILIACEAE.

Lühea grandiflora Mart. *Azoite Cavallo* Bras.

Cortex arboris in prov. Minarum sat frequentis inter eos referendus, qui stryphno pollent. Licet minore quantitate, quam aliis multis haec materia adstringens ei insit, hoc loco tamen stirpem praeterire nolui, quum in altioribus locis proveniat, ubi arbores coriario operi idoneae rariores quam in regionibus depressis, sempervirente nemore obumbratis. Usus fomentis adstringentibus, in tumore artuum rheumatico, adjectis floribus quibusdam aromaticis, nec non clysmate in diarrhoea languida, injectione in leucorrhoea.

KRAMERIACEAE.

Krameria argentea Mart. *Ratanha da terra* Bras. (Bahia.) Mart. in Spreng. Syst. Veg. II. (1825) 844 n. 2.

Haec species et forsan plures aliae quoque in deserto prov. Minarum et Bahiensis crescentes radice gaudent lignosa, quae prae-

sertim in cortice multum stryphni ferrum griseo colore praecipitantis, amylo et mucilagini conjuncti continet. Radicem et extractum inde paratum iisdem indicationibus adhibita vidi a b. Paiva medico Bahiensi experientissimo, quibus Krameria triandra inclaruit.

ANACARDIACEAE.

Schinus. *Cornêiba* Tupin. *Aroeira* Lusit. Bras.

Schinus terebinthifolius Raddi. DC. Prodr. II. 74. Mart. Herb. Fl. Bras. n. 116. Schinus Aroeira Vell. t. 135.

Schinus molleoides Vell. X. t. 134.

Schinus rhoifolius Mart. Herb. Flor. Bras. n. 115 (excl. ic. citata Vell., quae ad praecedentem). Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 103. *Cambui* Lib. Princ. 295.

Schinus mucronulatus Mart. (ined.) Minas.

Cortex stryphno pollet, quod ferrum caeruleo colore praecipitat, praeterea continet partes gummosas et resinosas. Fomentis contra dolores rheumaticos, artuum debilitatem et tumores ex dyscrasia arthritica vel syphilitica usitatur. De foliis et fructibus inter resinosa agitur.

MELIACEAE.

Melia Azedarach L. *Cinnamomo* Bras. (Rio Grande do Sul.)

Arbor ex Asia introducta in provinciis australibus prosperat. Corticem suppeditat amarore, acredine et stryphno scatentem, cujus usus varius tamquam roborans, stimulans, incidens, aperiens, anthelminticum. Majore dosi vomitum et embryon movet, alvum fortiter solvit et veneni efficaciam prae se fert. In provincia Rio Grande do Sul externe ad maturanda et mundanda apostemata, praesertim syphilitica, adhibetur. Substantia, quam cl. Piddington elicuit et *Azadirinum* salutavit, ulterius examinanda.

Carapa gujanensis Aubl. *Andiroba*, *Nandiroba* supra 21.

Persoonia guareoides Willd. Xylocarpus Carapa Spreng.

Silvestris arbor in provinciis superioribus sat frequens cortice amaro dotata est, e quo cl. Boullay, Petroz et Robinet materiam

elicuerunt, iis *Carapinum* dictam, margaritaceo-albam, metallici splendoris, amarissimam, igne fusibilem et fumum tetrum spargentem, in aqua et alcohol solubilem, cum aethere non combinandam, cujus solutiones alkalinum characterem prae se ferunt et stryphno praecipitantur. Eadem substantia in oleo quoque adest, quod in lucernis maxima copia consumitur. Usus decocti corticis immo foliorum interne contra febres intermittentes et verminosas et contra ascarides, externe lotionibus contra impetigines et exanthemata ab ictu insectorum. Equos lotio eodem modo a molestantibus insectis defendit, quo apud nos decoctum foliorum Juglandis regiae.

LEGUMINOSAE.

Bowdichia major Mart. *Sebipìra*, *Sebupìra*, *Sicopira*, *Sucopìra* Tupin. Bras.

Benth. in Annal. Mus. Vindob. II. 89. Sebipira major Mart. Reise II. 787. — *Çebipira-guaçu* Piso I. 78. II. 169. Marcg. 100. *Curubai-miri* Lib. Princ. 415. *Sepepera* Notic. do Braz. 185.

Arbor ligno gravi, tenacissimo, duro, perdurabili, in cortice multum continet stryphni, quod ferrum caeruleo colore praecipitat, materiam albuminosam, mucilaginem. Sapor, praesertim strati interioris, acri-amarus et austerus. Acrimonia quaedam quoque adesse videtur, ex parte volatilis, in vetusto cortice evanida. Remedium est diaphoreticum, incidens, roborans. Usus contra dolores rheumaticos, tumores artuum arthriticos viru venereo vel mercurio debilitatorum, hydropem, impetigines. Externe in balneis et fomentis, interne pulvere, decocto, conducit. B. Paiva, cujus supra memini, corticem inter egregia remedia ad excitandum systema lymphaticum et roborandam cutem mihi laudavit; ille semina arboris tosta et Coffeae loco propinata simili indicatione usurpavit.

Acacia Angico Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 44. *Angico* (Rio Grande do Sul).

Acacia Jurema Mart. Reise II. 788 n. 4. *Jurema*, *Geremma*, *Jerema* Bras. (Minas, Bahia, Pernambuco.)

Pithecollobium Avaremotemo Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 30. *Angico* vel *Brincos de Sahoim* Bras.

Abaremo-temo Piso I. 77. *Avaremotemo* Piso II. 168. Lib. Princ. 249. — Mimosa cochliacarpus B. A. Gomes in Mem. Acad. Uliss. 1812. Corresp. 34. Mart. Reise II. 549 n. 24. Herb. Flor. Bras. n. 155. Mimosa vaga Vell. XI. t. 13.

Stryphnodendron Barbatimaô Mart. Pl. med. etc. t. 29. *Barbatimão* Bras.

Mart. Herb. Flor. Bras. sub n. 157. Acacia adstringens Reise II. 548 n. 24. Mimosa Barba de Timam Vell. XI. t. 7.

Quatuor, quas attulimus, arbores cortice gaudent multo stryphno scatente, qui tamquam egregium remedium stypticum et roborans inter Brasilienses variis nominibus inclaruit. Omnium, quos nominavimus, ultimus videtur validissimus. In Europam promiscue hi afferuntur omnes, nomine corticis adstringentis brasiliensis, de quo, alios ut sileam, scripsit cl. Merrem: über den cortex adstringens brasiliensis. Colon. Agr. 1828 c. ic.

Medicorum brasiliensium est arborum, quas nominavimus, aliarumque simili modo stryphno pollentium, uti *Quijaba, Páo de Colher, Catinga branca* (forsan Linhareae tinctoreae nomine a b. Arruda da Camara in Discurso rel. 37 citatae) characteres botanicos circumscribere, virtutes medicas explorare, nomina variis in provinciis varia sistere.

Caesalpinia echinata L. *Páo Brazil* v. *Rozado* Bras.

Araboutan Lery 147. Thev. 116. *Ibira-pitanga* Piso II. 164. Marcg. 101. Mart. pl. med. t. 31. — Caesalpinia vesicaria Vell. IV. t. 89. (non L.)

Lignum brasilum, i. e. ignei coloris, quod imperio nomen impertiit, inter medicamina adstringentia, roborantia, exsiccantia quoque enumerandum est. In pulverem subtilissimum redactum, admisto pulvere foliorum Schini, gingivae roborandae optime conducit.

Adstringentia mucilagini nupta.

BIGNONIACEAE.

Tecoma impetiginosa Mart. *Ipé contra sarnas* Bras. (Piauhy.)

Cortex arboris stryphnum continet partibus mucilaginosis et amaris conjunctum. Decoctum in lotionibus, balneis, injectionibus

usitatur contra impetigines, artuum inflammationes ex debilitate, leucorrhoeam, catarrhum urethrae. Icon edenda in Mart. Pl. med. et oecon. Bras. t. 80.

Tecoma Ipé Mart. l. c. ined. t. 47. *Ipé* Tupin. Bras. (Rio Grande do Sul.)

Decoctum corticis adstringens, mucilagine simul pollens, gargarismate contra ulcera faucium syphilitica, fomento contra impetigines adhibetur. Foliorum usus idem ac corticis, attamen mitiora sunt et in blenorrhoea oculorum conducere dicuntur; eorum succus recenter expressus in spasmo palpebrarum illinitur.

VERBENACEAE.

Vitex Tarumá Mart. Pl. Bras. med. et oecon. ined. t. 52.

Arbor provinciarum australium, ibidem *Tarumá* dicta. Corticis decoctum contra affectiones syphiliticas cum atonia. (Drupae uti aliarum Viticum e. g. Viticis, quae *Copi-iba* Marcg. 121, inter mucilaginosos fructus pectorales referri forsan possint.)

CORDIACEAE.

Patagonula vulneraria Mart. *Ipé branco.* (Rio Grande do Sul.)

Folia arboris inter summae efficaciae vulneraria a provinciarum australium incolis laudantur, praesertim in glandularum inguinalium inflammatione syphilitica. Continent: chlorophyllum, stryphnum, quo ferrum colore viridi praecipitatur, materiam amaram in alcohole et aqua flavo colore solubilem, extractivum gummosum; in cinere: kali carbonicum, muriaticum, sulfuricum, calcaream carbonicam, siliceam.

LOGANIACEAE.

Potalia resinifera Mart. *Anabi* Bras. (Para, Rio Negro.)

Decoctum foliorum contra levioris momenti ophthalmias et lippitudinem lotione adhibetur.

COMPOSITAE.

Eclipta erecta L. DC. Prodr. V. 490. — Eclipta palustris Vell. VIII. t. 149. *Tangaraca* III. (Icon infima.) Piso I. 92. II. 302.

Herbae inter tropicos fere cosmopolitae stryphno pollentis, quod mucilagini et salinis particulis combinatum, est usus contra diarrhoeam. Decoctum frigidum alvum sistit, eoque utuntur mulierculae ad capillos nigro colore imbuendos.

LEGUMINOSAE.

Poinciana pulcherrima L. Vell. IV. t. 90.

Flores arbusculae pulcherrimae ex India orientali introductae pollent stryphno, quod extracto amaro, materiei rubro-coloranti et mucilagini nuptum est. Decoctum amarum leviter adstringit et involvit, gargarismate contra raucedinem et inflammationem tonsillarum, majore copia interne sumtum contra catarrhum pulmonum mirifice prodesse dicitur. Radicis acri-amarae usus in febribus tertianis probatur.

CHRYSOBALANEAE.

Chrysobalanus Icaco L. *Guajerú* Tupin. v. supra 17.

Radix, cortex, folia contra diarrhoeam languidam, blennorhoeam urethrae, leucorrhoeam, immo contra profluvia sanguinea passiva praescribuntur.

DILLENIACEAE.

Davilla. Tetracera. *Sambaibinha, Sipo de Carixó* Bras.

Davilla elliptica S. Hil. Pl. usuell. t. 23 et Davilla rugosa Poir. (brasiliana DC. Hieronia scabra Vell. t. 116.)

Tetracera oblongata DC. Prodr. I. 67 n. 2 et aliae stirpes affines.

Folia horum fruticum adstringentia, mucilaginosa, in tumescentia testiculorum, e nimio usu venereo nimiave equitatione fomentis et fumigationibus prosunt. Mart. Reise II. 546 n. 13. *I-cipó* Marcg. 14. ad has spectat.

TURNERACEAE.

Turnera opifera Mart. Reise II. 552 n. 45.

Herba mitis, adstringens tamen, contra tarditatem ventris et dyspepsiam in prov. Minarum mediterraneis usitatur.

OCHNACEAE.

Gomphia hexasperma S. Hil. Pl. usuell. t. 37.

Cortex arbusculae, in prov. Minarum crescentis, vulnerarius, fomentis et lotionibus contra vulnera bestiarum ex ictu insectorum adhibitus.

Adstringentia amara, elemento alcaloideo dotata.

RUBIACEAE.

Cinchona Remijiana S. Hil. Pl. usuell. t. 1. Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 1. 2.

Cinchona Vellozii S. Hil. l. c. Mart. l. c. t. 3.

Cinchona ferruginea S. Hil. l. c. t. 3.

Cinchonae species, a cl. De Cand. Prodr. IV. 357 in Remijiae genus redactae, per campos montium in prov. Minarum crescentes corticem suppeditant febrifugum, qui vero peruviano rite substituitur. *Quina da Serra, do Campo* vel *de Remijo* incolis audiunt. Mart. Reise II. 549 n. 26.

Cinchona cujabensis Manso. *Quina de Cujabá.*

Cinchona firmula Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 4. Mart. Reise III. 1286. (Rio Negro.)

Cinchona Lambertiana Mart. ib. t. 5. Mart. Reise ib. (Rio Negro.)

Cinchona Bergeniana Mart. ib. t. 6. Mart. Reise ib. (Rio Negro.)

Cinchona macrocnemia Mart. ib. t. 7. Mart. Reise ib. (Rio Negro.)

Species ex parte in confiniis Peruviae lectae cortice donatae efficaci merentur, quae commercio ad nos deferantur.

Exostema Souzanum Mart. Reise II. 789 n. 8. *Quina de Piauhy, de Don Diogo, de Diogo de Souza.* (Piauhy, Bahia.)

Exostema cuspidatum S. Hil. Pl. usuell. t. 3 f. A. *Quina do mato* in Brasilia orientali.

Exostema australe S. Hil. l. c. f. B.

Exostema formosum Cham. Schlecht. *Quina do Rio de Janeiro.* Linnaea IV. 179. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 111.

Coutarea speciosa Aubl. *Quina de Pernambuco.* Mart. Reise II. 789 n. 8. Herb. Flor. Bras. n. 110.

Velloso Quinografia portugueza 161 t. 9.

Buena hexandra Pohl. *Quina do Rio de Janeiro.*
Pohl. Icon. Pl. Brasil. I. 10 t. 8. Gomes in Mem. Acad. Uliss. III. (1812) Corr. 96. Mart. in Buchners Repert. d. Pharm. XXXI. (1829) 362.

Stirpes hic enumeratae omnes cortice pollent febrifugo et veri peruviani vices gerere saepe cum eximio effectu jubentur.

Operae pretium foret, in omnium cortices chemica arte investigare, ut accuratius eruatur, quibusnam elementis febrifugis illorum quisque sit constitutus. Varii auctores in plantis Cinchonaceis *Cinchoninum, Chininum, Aricinum, Pitayinum, Blanquininum, Bueninum* et *Montaninum* (quod forsan idem ac *amarum Cinchonae novae*) distinxerunt, quo vero jure hoc sit factum, qua ratione singulum sit compositum, qua vegetationis ope evolvantur et in se invicem mutentur, nondum liquet. In his explorandis studium chemicorum et botanicorum Brasiliensium nobilem habebit provinciam.

Adstringentia coffeino dotata.

Coffea arabica L. Vell. II. t. 10. *Cafeeiro* v. *Cafezeiro* Lusit.

Arbuscula ex insulis antillanis introducta, cultura nunc praesertim in Brasilia orientali longe lateque diffusa, pretiosam mercedem praebet. Infusum seminum recentium contra arthritidem optimo jure inclaruit.

SAPINDACEAE.

Paullinia sorbilis Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 110. *Guarana-üva* Tupin.

E seminibes hujus fruticis, variis Brasiliae aequatorialis locis, praesertim apud Indos Mauhe in ditione fluvii Madeira inferioris habitantes, remedium *Guaraná* paratur, quod in panes fusci coloris ellipticos vel globosos formatum commercio per omne imperium divulgatum pro panacea peregrinantium habetur multisque in morbis praescribi solet. Arte chemica omnium primus (1826) Theodorus Martius, frater meus, in illud investigavit idque constare invenit: stryphno quod ferrum viride praecipitat, resina, oleo pingui viridi, gummi, amylo, fibra vegetabili et substantia alba crystallina amara, quam *Guaraninum* nuncupavit, cui quidem materiei efficacia medicaminis praecipue debetur. Eam sui generis esse substantiam, nec tamen alcaloideam, atque iisdem elementis constitutam, quibus *Theinum* (a cl. Oudry 1827 detectum) et *Coffeinum* (a cl. Liebig (1832) forma purissima exhibitum) analysi elementari (1837) comprobavit. Constat nimirum 8 C. 10 H. 4 N. 2 O. Confr. Wöhler et Liebig Annal. XXXVI. 93. Usus panis Guarana in pulverem redacti cum aqua et saccharo a Brasiliensibus multiplex, nec semper bona indicatione comprobatus; pro stomachico, antifebrili et aphrodisiaco vulgo habetur. In systema nervorum gastricorum prae aliis agit tam incitando, quam compescendo. Plexus coeliaci effrenatam sensibilitatem reducit, febricitationes inde diminuit; ventriculum et intestina simul roborat, praesertim muci nimium dejectum adstringit, arteriarum et cordis motus nonnihil incitat, diaphoresin auget. Nobile remedium ideo indicatur: in febri vel statu sensibili adaucto a refrigerio, continua irrigatione, insolatione, nimia corporis agitatione, animi pathematibus, vigiliis diuturnis, porro in colica, flatulentia, anorrhexia, hemicrania nervosa, cute sicca. Contraindicatur statu repletionis viscerum abdominalium, saburra, sanguinis versus caput orgasmo. Appetitum venereum movet, spermatis vero foecunditatem diminuere dicitur. Mart. in Buchners Repert. d. Pharm. XXXI. (1829) 370. Gavrelle sur une nouvelle substance médicinale etc. Par. 1840. 8.

TERNSTROEMIACEAE.

Thea. *Chá, Chá da China, da Índia* Lusit.

Thea viridis L. et Thea Bohea L.

Frutex ex imperio sinensi introductus in prov. Sebastianopolitana, Paulina et Minarum passim colitur. Folia Theae ob *Coffeinum*, quo pollent, inter adstringentia aromatica post Coffeam et Paulliniam, eodem elemento donatas, enumerantur.

Adstringentia cum mucilagine et particulis aromaticis.

FILICES.

Adiantum. *Avenca* et *Avencaô* Lusit.

Adiantum cuneatum Langsd. et Fisch. Icon. Filic. t. 26.

Adiantum subcordatum Sw.

Adiantum conicum Vell. XI. t. 97. Adiantum truncatum Raddi Fil. bras. t. 78 f. 5. Ad. betulinum Kaulf.

Adiantum tenerum Sw. Ad. trapeziforme Vell. XI. t. 98.

Adiantum radiatum L. Vell. XI. t. 95.

Gymnogramme calomelanos Kaulf. Spreng. S. V. IV. 39.

Acrostichum album Vell. XI. t. 91. Langsd. et Fisch. Ic. Fil. t. 3.

Cheilanthes spectabilis Kaulf. Enum. Filic. 214.

Cheilanthes brasiliensis Raddi t. 75 f. 2.

Pteris leptophylla Sw. Pt. decurrens Vell. XI. t. 85, spinulosa Raddi l. c. t. 70 a. b.

Pteris pedata Sw. Pt. laciniata Vell. XI. t. 89.

Pteris palmata W. Pt. elegans Vell. XI. t. 81.

Pteris varians et collina Raddi l. c. t. 64. 65 f. 1. 2.

Asplenium regulare Sw. et A. triste Kaulf. Enum. Fil. 170.

Asplenium brasiliense Raddi l. c. t. 51 f. 1.

Asplenium sulcatum Lam. A. Schottii Presl., adiantoides Raddi l. c. t. 51 f. 2.

Filices (*Samambaya* Tupin.) omnes, quas heic enumeravimus, efficacia cum Adianto Capillo Veneris nostrati conveniunt et tamquam pectorales in raucedine, pulmonum repletione pituitosa rel. praescribuntur. Adianta magis demulcent et diaphoretica sunt, Cheilanthes et Pterides magis adstringunt, Asplenia in systema uropoëticum leviter agunt.

ILICINEAE.

Ilex paraguariensis Lambert. *Caa-mirim* Tupin. *Erva de Palo, Mate, Gongonha verdadeira* Hisp. Lusit.

Lambert Genus Pinus ed. 2. append. c. icone.

var. acutifolia Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 20.
obtusifolia Mart. ib. t. 21. — Chomelia amara Vell. I. 106.

Herba paraguariensis, cum speciebus affinibus, quae insequuntur, inter pretiosa diaphoretica et diuretica recte enumeratur. Continet acidum tanningenicum, extractivum luteo tingens, resinas α et β, vestigia materiae alcaloideae, nisi haec potius ad extractivum amarum referenda erit.

Ilex Gongonha Lambert Genus Pinus edit. 2. l. c. c. icon.

Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 23. — Cassine Gongonha Mart. Reise I. 285 n. 45. Myginda Gongonha DC. Prodr. II. 13.

Folia fruticis in prov. Minarum crescentis ibique nomine *Gongonha* noti uti vera herba paraguariensis infuso propinantur.

Ilex theezans Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 22.

Idem, quod de praecedente, de hac valet.

ERYTHROXYLEAE.

Erythroxylon Coca Lam. *Cuca* Peruv. *Coca* Hisp. *Ypadú* Tupin.

Mart. in Act. Acad. Monac. III. 1841. 367 t. 6. Reise III. 1169. 1180. Cfr. Dissertacion sobre el aspetto, cultivo commercio y virthdes de la famosa planta del Peru, nombreada Coca, por el Dr. D. José Hipolito Unanúe. Lima 1794. 4to men. p. 45 et tab.

Pulvis foliorum exsiccatorum miri effectus in systema nervosum, praesertim in cerebrum, dignus est, qui denuo observetur et inter materiae medicae cimelia recipiatur.

MYRTACEAE.

Eugenia depauperata Camb. *Guabiroba.* (Rio Grande do Sul.)

Camb. in S. Hil. Flor. Br. mer. II. 366 n. 61. Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 51.

Eugenia variabilis Mart. l. c. t. 49 et Eugenia xanthocarpa Mart. ibid. t. 50.

Hae Myrtaceae, quae in prov. Rio Grande do Sul communi *Guabiroba* nomine designantur, folia praebent leviter adstringentia et contra diarrhoeam mucosam, catarrhum vesicae et urethrae, leucorrhoeam, laxitatem intestini recti usitata. Continent haec folia: chlorophyllum, materiam amaram luteo-tingentem in alcohol et aqua solubilem, stryphnum, materiam fuscam gummosam in alcohol non solubilem; in cinere: kali acidis carbonico muriatico et sulfurico nuptum, calcaream carbonicam et siliceam. Usus interne infuso, externe clystere, lotione, fomento.

Adstringentia oleo acri nupta.

Polypodium. *Samambaia* Tupin. *Feto*, *Feto macho* Lusit.

Polypodium sepultum Kaulf. Acrostichum lepidopteris Langsd. Fisch. Icon. Filic. t. 2.

Polypodium incanum Sw. P. squalidum Vell. XI. t. 76.

Polypodium percussum Cav. P. lycopodioides Vell. XI. t. 56.

Species allatae aliaeque plures stryphno, materie gummosa, et oleo acri pollent atque eadem ratione contra vermes, praesertim taeniam, in auxilium vocantur, qua inter nos Aspidium Filix mas Sw.

Polypodium aureum L. P. auratum Vell. XI. t. 74.

Pteris arachnoidea Kaulf. Pt. caudata Vell. XI. t. 80.

Rhizoma utriusque filicis sapore mucilaginoso-austero, subdulci et vellicante, adstringit, diaphoreticum est et expectorans. Usus

rhizomatis recentis contusi et aqua fervida infusi in raucedine chronica, bronchitide chronica, pulmonum repletione pituitosa non spernendus.

Alsophila armata Mart. Icon. Sel. Pl. crypt. Bras. 72 t. 27. 28. Polypodium aculeatum Raddi Fil. Bras. 27 t. 47. Vell. XI. t. 65.

Caudex novellus, *Rabo de Bugí* Bras., mucilagine et materia adstringente pollens, involvens, expectorans, in membranarum mucosarum pectoris statu subinflammatorio, haemoptysi rel. summa laude a quibusdam medicis praedicatur.

LEGUMINOSAE.

Andira Lam. *Angelim* v. *Angali* Bras.

Andira stipulacea Benth. *Angelim Coco* v. *Urarema* Bras. Bentham in Ann. Wien. Mus. II. 107 n. 3. Lumbricidia legalis Vell. VII. t. 105.?

Andira anthelmintica Benth. *Angelim amargozo* v. *Aracuy* Bras. Benth. l. c. 108 n. 7. Lumbricidia anthelmia Vell. VII. t. 104.

Andira spinulosa Mart. Benth. l. c. n. 12.

Andira vermifuga Mart. Benth. l. c. n. 13.

Andira rosea Mart. Benth. l. c. 108 n. 9. *Andira Ibaiariba* Piso I. 81. II. 175. Marcg. 100. *Andura Obaja-miri* Lib. Princ. 489.

Semen harum specierum in Europa quoque innotuit tamquam egregium vermifugum. Caute adhibendum est, nam nimia dosi veneni ad instar alvum fortiter exturbat et vomitum movet. Mart. Reise II. 788 n. 3.

Geoffraea spinosa L. *Umarí*, *Mari* Tupin. (Bahia, Pernambuco.) Idem usus seminum, ac praecedentium. Marcg. 121. Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 109.

Guilandina Bonduc L.

Inimboja s. *Silva de Praya* Piso I. 95. II. 205. Marcg. 12. 65. (icon).

Radix fruticis maritimi in libro materiem continet amaram resinamque stryphno nuptam. Dosi sat magna sumta vomitum excitat. (Seminum pulvis roborans.)

ANACARDIACEAE.

Mangifera indica L. *Manga* Lusit. v. supra 33.

Semina amara, anthelmintica. Putamen nucis continet succum resinosum acerrimum, ad corrodendas verrucas adhibitum, et cui tribuendum, quod nuces corio involutae et in nuga gestatae contra ophthalmias chronicas scrofulosas mire conducunt. Succus ille axungia subactus unguentum epispasticum praebet.

ACRIA.

Amaricanti-acria, principio acri cum amylaceo vel saponaceo conjuncto.

CYPERACEAE.

Kyllinga odorata Vahl. Nees ab Esenb. in Endl. et Mart. Flora Brasil. Cyperaceae 12 n. 2. *Caa-pim cheiroso* v. *de cheiro* Bras. *Jaçapé* Piso II. 237. (non Marcg.?)

Remirea maritima Aubl. Nees ab Esenb. l. c. 60. *Paraturá* Piso II. 238. Lib. Princ. 367.

Hypoporum nutans Nees ab Esenb. l. c. 170 n. 1. *Junco de cobra*, *Calamo aromatico*. (S. Paulo.)

Radices harum Cyperacearum amylaceae continent partes resinoso-acridulas. Infusum diaphoreticum et diureticum praebent iisdem indicationibus adhibendum, quibus radix Caricis arenariae vel Cyperi rotundi. De illarum virtute antidotali multae inter rusticos fabulae. Ejusdem familiae est *Capi-catinga*, i. e. gramen odoratum, Piso II. 241. *Junça* Mart. Reise II. 790. n. 10.

SMILACEAE.

Smilax *Legaçaô*, *Salsaparilha* Lus. *Japicanga* Tupin.

Smilax papyracea Poir. *Sipó êm* Tupin.
Grisebach in Endl. et Mart. Flor. Bras. Smilaceae 5 n. 1 t. 1. — Smilax syphilitica Mart. (non Humb.) Reise III. 1280.

De hoc frutice, in regione aequatoriali fluvii Amazonum ejusque confluentium crescente, vera *Salsa*, *Salsaparilha*, *Sarza*, *Zarza*, quae de *Maranhaô*, de *Para* aut *Lisbonensis* dicitur, colligitur. Ejus radices prae ceterarum Smilacum pollent materie illa extractiva, saporis amaricantis, fauces vellicantis, *Parillinum* dicta, cui efficacia medicaminis praecipue debetur. Usus decocti in morbis impetiginosis et renum inter Indos antiquus est.

Smilax officinalis Kunth. Griseb. l. c. 6 n. 2.

A cl. Pohl prope fluvium Abaité a Cima, in prov. Minarum districtu occidentali lecta est.

Smilax Japicanga Griseb. l. c. 6 n. 3.

In Brasilia orientali, cum duabus insequentibus, crescit.

Smilax syringoides Grieseb. l. c. 11 n. 13.
Jupicanga Piso I. 99. II. 257. Sm. China Vell. X. t. 105. 106.

Smilax brasiliensis Spreng. Griseb. l. c. 17 n, 23 t. 3.
Smilax glauca Mart. Reise I. 283. (non Michx.)

Smilax syphilitica Humb. Griseb. l. c. 20 n. 29.

In Brasilia aequatoriali provenit.

Herreria Salsaparilha Mart. Reise II. 545. Griseb. l. c. 23. t. 4. 5. *Salsa do Mato*. (Rio, Minas, Bahia.)

Herreria parviflora Lindl. Bot. Reg. t. 1042. — Rajania verticillata Vell. X. t. 115. — Mart. Reise II. 545 n. 8.

Radices omnium specierum hic enumeratarum, in Brasilia *Juapecanga*, *Inhapecanga*, *Japicanga*, *Jupicanga*, *Raiz de China brana* vel *rubra* nominatae, iisdem indicationibus adhibentur, quibus nos verae Salsaparilhae ulissiponensis vires in usum vocare solemus. Recentes multo efficaciores, quam exsiccatae, vetustae.

Acria herbacea, cum principio extractivo amaricante, quod chlorophyllo et mucilagini nuptum est.

Quae in hac serie disponuntur remedia in corpus humanum triplici ratione agunt. Alia enim renes praecipue excitant, alia cutem, alia denique, eademque topica, processum plasticum corrigunt, mor-

bosas particulas liquefaciunt et novis recte formandis praesunt. Nonnulla hujus ordinis modo nondum bene perspecto, forsan cerebri nervorumque actiones deprimendo, tamquam praesentia venena se habent, digna prae ceteris in quae medici Brasilienses accuratius investigent, ut eorum indoles tam chemica quam pharmacodynamica latius pateat.

BIGNONIACEAE.

Cybistax antisyphilitica Mart. *Caroba de flor verde* Bras. Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 81. Bignonia antisyphilitica Reise I. 283 n. 24. II. 557. — Bignonia quinquefolia Vell. VI. t. 50.

Cortex interior ramulorum novellorum et radicis pariter ac folia inter egregia medicamenta antisyphilitica enumerari debent. In renes praesertim agunt, urinaque adaucta particulas morbosas liquefactas educunt. Decoctum et infusum interne praescribuntur in variis morbis e viru venereo ortis, in dysuria, hydrope. Cataplasmata et lotiones contra ulcera syphilitica mire conducunt. Dosis in infuso 2 drachmarum pro die. Contra hepatis indurationem bolus e foliis Carobae, Sennae, Aloë, Manna et Mercurio dulci praescribitur.

Sparattosperma lithontripticum Mart. *Caroba branca* Bras. Bignonia leucantha Vell. VI. t. 49.

Folia fruticis amara, resinoso-acria, incidentia, diuretica, lithontriptica, summae virtutis contra dolores a calculo. Nonnullos casus novi, in quibus summa cum efficacia horum foliorum infusum tanquam theae quotidiana potio hauriebatur.

Jacaranda Juss. *Caroba, Carobinha* Bras.

Jacaranda procera Spreng. Syst. Veg. II. 834. *Caaroba* Piso I. 70. Bignonia Copaia Aubl. Kordelestris syphilitica Arruda Discurso 50. Mart. Reise III. 1129 n. 8. Buchner Repertor. Pharm. XXXI. 382.

Folia arboris speciosae in silvis provinciarum aequinoctialium crescentis pollent principio amaro-acridulo et stryphno, quod ferrum viridi colore praecipitat, acetatem plumbi colore lutescente, gelatinam animalem albido. Contra morbi gallici varios affectus,

praecipue glandularum inguinalium inflammationem (Boubas) et impetigines praescribuntur, infuso, decocto, fomentis, balneo.

Jacaranda subrhombea DC. Prodr. ined. *Caroba* Bras.

Bignonia obovata Vell. VI. t. 45.

Jacaranda oxyphylla Cham. in Linnaea VII. (1832) 546.

Jacaranda paulistana Manso Enumeraçào 40.

Jacaranda (Bignonia) Caroba Vell. VI. t. 43.

Hae et plures aliae species (confr. Manso l. c.) pariter atque J. procera usitantur. Decoctum theae instar hauritur, extractum in pilulis porrigitur, foliorum pulvis ulceribus inspergitur.

Tecoma speciosa DC. Prodr. ined. *Jpé*, *Jpeuva*, *Piuva* Bras.

Bignonia longiflora Vell. VI. t. 52.

Liber amaro-acris, infuso et decocto tamquam remedium diureticum et catharticum praescribitur. Dosis quatuor drachmarum.

SCROFULARINEAE.

Franciscea Pohl. *Manacá*, *Manacán*, *Geratacaca*, *Jerataca*, *Camgabá* Tupin. et Bras. (Besleria Vell. VI. t. 80. 81 non Plum.)

Franciscea uniflora Pohl. Ic. Bras. 1 t. 1. Mart. Pl. med. et oecon. Bras. ined. t. 60.

Manacá Piso I. 85. II. 184. Marcg. 69. Lib. Princ. 233. (ubi icones duae, e quibus xylographica in libro composita.)

Omnis planta, magna radix potissimum, systema lymphaticum summa efficacia excitat, particulas morbificas liquescit, sudore et urina eliminat. Magni usus in syphilitide, ideo *Mercurio vegetal* a quibusdam dicitur. Cortex interior et omnes partes herbaceae amaritudine nauseosa, fauces vellicante pollent. Dosi parva resolvit, majore exturbat alvum et urinam ciet, abortum movet, venenum a morsu serpentum excutit; nimia dosi tamquam venenum acre agit. De modo, quo hauriri solet, conferas Martium in Buchner Repertor. Pharm. XXXI. 379. Apud nonnullas Indorum gentes in regione Amazonica habitantes ejus extractum in venenum sagittarum ingreditur.

COMPOSITAE.

Bidens L. *Picão* Lusit.

Bidens pilosa L. DC. Prodr. V. 597 n. 25.

Bidens adhaerescens Vell. VIII. t. 88. *Cuambú* Piso II. 209. *Garyophillata* Marcg. 45.

Bidens leucantha Willd. DC. l. c. 598 n. 26.

Bidens graveolens Mart. Reise I. 286 n. 49. DC. l. c. 604 n. 69.

Bidentis herbae acri-mucilaginosae, antiscorbuticae, contusae in fomentis contra ulcera immunda, glandulas pectoris intumescentes vel induratas, immo scirrhosas, adhibentur una cum Tiaridio indico, Cassia sericea, occidentali aliisque. Radix plures particulas resinosas continet, quam herba.

Spilanthes oleracea Jacq. *Mastruço* v. *Pimenteira do Pará* Lusit. et var.? β. fusca DC. Prodr. V. 624 n. 30, quae Spilanthes brasiliensis Spreng. S. V. III. 444 et hortorum europaeorum. Vell. VIII. t. 89.

Spilanthes radicans Schrad. DC. l. c. n. 29. Cotula Piper Vell. VIII. t. 136.

Herba in hortis botanicis Europae frequenter culta ibique *Cresson de Para* dicta, saporis amaricantis calidi, urentis, salivam creberrime educit. Resina molli pollet, cui efficacia sialagoga prae aliis particulis debetur, porro mucilagine, materie extractiva aliaque flavo-tingente, cera, chlorophyllo, salibus diversis. Radicem Anacycli Pyrethri (DC. Prodr. VI. 25) virtute aemulatur, iisdemque indicationibus, quibus haec, contra odontalgiam, faucium et linguae astheniam, gingivae laxitatem commendatur. Inter lithontriptica quoque militat. Tincturam pro purgandis dentibus et roboranda gingiva, quae nomine *Paraguay-Roux* venditatur, ingreditur.

UMBELLIFERAE.

Hydrocotyle bonariensis Lam. DC. Prodr. IV. 60 n. 7.

Acariçoba Tupin. *Erva do Capitão* Lusit. Piso I. 90. II. 260. Marcg. 27. Lib. Princ. 363. — Hydrocotyle Dux Vell. III. t. 96.

Herba, praesertim caulis repens, acri-aromatica, Petroselino sativo quoad efficaciam comparanda, incidens, aperiens, diuretica, nimia dosi emetica. In infarctu hepatis et reliquorum viscerum abdominalium conducit. Succus recenter expressus cum aliis aperientibus et refrigerantibus, e. g. succo Cerefolii, Asparagi praescribendus. Aqua destillata contra lentiginem.

RUBIACEAE.

Palicurea Aubl. *Tangaraca-açu* Tupin. *Erva do Rato* Bras.

Palicurea densiflora Mart. Herb. Flor. Bras. n. 266. *Coto-Cotó* Bras. Mart. Reise I. 283 n. 23.

Folia arbusti in prov. Sebastianopolitana, Paulina et Minarum crescentis, acredine conspicua sunt donata, et tamquam summae virtutis remedium in lue inveterata, doloribus rheumaticis et artuum intumescentia ex refrigerio (Curimentos incolae dicunt), in dyspepsia et statu asthenico universali a dyscrasia rel. laudantur. Infusum parva dosi praescribitur hauriendum, addito syrupo aromatico aut Cinnamomo; majore dosi tormina ventriculi excitat, copiosas alvi dejectiones et vomitus movet. Tinctura alcoholica quoque sese commendat.

Palicurea sonans Mart. DC. Prodr. IV. 530 n. 50. *Gritadeira* (Minas.) Mart. Reise II. 544 n. 6. Pl. med. et oec. Bras. t. 14.

Palicurea strepens Mart. DC. l. c. n. 54. *Gritadeira do Campo.* (Minas.) Mart. ibid. t. 17.

Palicurea rigida H. B. K. DC. l. c. n. 55. *Gritadeira, Douradinha do Campo.* (S. Paulo, Minas, Goyaz, Mato Grosso.)

Palicurea tetraphylla Cham. Schl. DC. l. c. 526 n. 18. *Don Bernardo.* (Minas.) Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 15.

Palicurea diuretica Mart. DC. l. c. 530 n. 51. Mart. l. c. t. 16.

Palicurea aurata Mart. DC. l. c. 53. Mart. l. c. t. 18. *Douradinha do Campo.* (Minas.)

Palicurea officinalis Mart. DC. l. c. 52. Mart. l. c. t. 19.

Folia et liber ramulorum novellorum inter egregia diuretica et diaphoretica militant. Cordis et arteriarum motum infringere di-

cuntur, pariter ac Digitalis purpurea, quacum diversa ratione possunt comparari. In dyscrasia syphilitica conducunt, praesertim in eruptionibus cutaneis, vesicae repletione pituitosa et urinae tarditate, artuum tumore, prostatae induratione ingruente. Infusum porrigitur, dosi scrupuli vel drachmae dimidiae, sex unciis aquae fervidae infundenda, additis Cinnamomo, fructu Capsici vel cortice aurantiorum et aqua flor. naphae.

Palicurea Margravii S. Hil. DC. l. c. 525 n. 5. Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 13. *Erva do Rato.* (Rio, S. Paulo.) *Tangaraca* I. Piso I. 92 (excl. icone). II. 302. Marcg. 60. Palicurea noxia Mart. Reise II. 544 n. 6.

Palicurea nicotianaefolia Cham. Schl. l. c. 529 n. 42. *Erva do Rato.* (Minas.)

Hae ultimae Palicureae species generatim cum praecedentibus effectu in renes et in cutem conveniunt, sed atrociores sunt adeoque exturbant, ut inter legitima venena a Brasiliensibus habeantur. Qui in re veterinaria contra equorum et mulorum dysuriam decocto vel infuso herbae utuntur; fructibus vero et axungia unguentum parare solent ad enecandos mures et rattos.

Cephaëlis ruelliaefolia Cham. Schl. DC. Prodr. IV. 533 n. 4. *Tangaraca* II. Piso I. 92. II. 302 (fig. dextra). Lib. Princ. 197 (ic. secunda).

Fructus (semen) venenosus uti praecedentis usitatus.

Declieuxia Aristolochia Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 55. *Ervinha da Parida.* (Min.) Asperula cyanea Vell. I. t. 113.

Radix acri-amaricans contra amenorrhoeam et lochiarum tarditatem propinatur.

SPIGELIACEAE.

Spigelia glabrata Mart. *Espigelia* Lusit.

Mart. Nov. Gen. et Sp. II. 127 t. 193. Reise II. 791 n. 14. *Arapabaca* Marcg. 34. Lib. Princ. 323.

Herba continet eandem substantiam, quam cl. Feneulle e Spigelia anthelmia chemica arte elicuit, et ob effectus acres inter venena habetur.

PLUMBAGINEAE.

Plumbago scandens L. *Loco* Tupin. Piso I. 82.

Caa-pomonga v. *Caa-jandiwap* Piso I. 105. II. 200. Marcg. 28. Lib. Princ. 481. Vell. III. t. 15.

Radix scatet acrimonia, quae mucilagini et dulcibus particulis nupta egregiam virtutem epispasticam prae se fert, dum illa recens contusa cuti imponitur. In aurium doloribus externe in regione processus mastoidei applicata saepius conducit. Succus interne sumtus aperiens, incidens, non solum ab Indis pro antidoto habetur, sed a medicis Brasiliensibus quoque ut efficax medicamentum in vesicae repletione pituitosa, hepatis et glandularum mesaraicarum obstructione usitatur, dosi 1—2 scrupuli quater pro die. Infusum quoque propinatur. In luis venereae doloribus membrorum et tumoribus lotione conducit. — Infusum clystere applicitum alvum cunctantem provocat: Piso. Substantia in hoc medicamento prae aliis activa est *Plumbaginium*, quod cl. Dulong primus elicuit.

PHYTOLACEAE.

Seguiera. *Ybiraréma*, i. e. lignum foetens, Tupin. *Páo d'Alho* Bras.

Seguiera floribunda Benth. in Transact. Lin. Soc. XVIII. (1839) 235 t. 18.

Seguiera americana Vell. VI. t. 101 (non Linnaei).

Seguiera alliacea Mart. Mss. *Ybiraréma*, *Guararema* v. *Páo* v. *Sipo d'Alho* Piso I. 115. II. 236. *Ubiraréma* II. Notic. do Braz. 193. — Crataeva Gorarema Vell. V. t. 4.

Radix, lignum et omnes partes herbaceae odorem gravem Allii aut Asae foetidae spirant. Balnea cum ligno et foliis praeparata tamquam medicamen summae efficaciae in variis morbis exanthematicis, rheumatismo, dolore haemorrhoidali, hydrope praescribuntur. Fomenta e foliis et libro ramulorum novellorum, addito balsamo quodam, herba Bidentis pilosae, Spilanthis oleraceae et Kalanchoes brasiliensis Camb. (ibidem *Sayâo* dictae, Cotyledonis brasilicae Vell. IV. t. 184) confecta contra tumorem glandulae prostatae im-

ponuntur. Lignum multo kali pollet et lixivia inde parata ad clarificandam mellaginem Sacchari et in saponis fabrica adhibetur.

Petiveria tetrandra Gom. *Erva de Pipi*, *Raiz de Guiné.* (Rio de Janeiro.)

B. A. Gom. in Act. Uliss. III. (1812) Mem. Corr. 17 (qui perperam *Embyayembo* Marcg. 26, Aristolochiam, huc ducit. *Tipi* (menda pro *Pipi?*) Piso I. 115. II. 236. — Mapa graveolens Vell. I. t. 153.

Radix et herba fortiter allium olent; cocta in cataplasmate contra artuum motum ex refrigerio diminutum et paralysin applicantur. Mart. Reise I. 281 n. 12.

MYRTACEAE.

Gustavia brasiliana DC. Prodr. III. 290 n. 6. *Janiparandiba* Piso I. 121. II. 172. Marcg. 109. *Japoarandiba* et *Jandiparana* Lib. Princ. 163. 165.

Radix arbusculae acri-aromatica amara; folia trita odorem peculiarem ingratum spargunt, qui ab oleo aethereo pendere videtur. Lignum foetet. Cortex radicis in hepar et glandulas mesaraicas agit incidendo et resolvendo. Folia contusa hypochondriis applicata duritiem hepatis solvunt; ulceribus imposita maturant: Piso. In prov. Maragnaniensi Aethiopem vidi fomentis utentem e foliis et libro radicis contra hepatis infarctum (Baço) cum magno gravis morbi solamine. Fructus vomitus excitant, pisces inebriant. — De affini Gustavia speciosa traditum est, esu fructuum epidermidem flavo colore tingi per aliquot dies.

CAPPARIDEAE.

Colicodendron Ycó Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 72. *Ycó* Bras.

Frutex in silvis depressis prov. Minarum, Bahiensis et Pernambucana proveniens. Folia ab equis et mulis esa iis tormina, meteorismum et dysuriam excitant, immo inflammatione intestinorum et renum mortem minari dicuntur. Quam ob causam stirps inter

venena acria recensenda videbatur. Nos ipsi bestiis foliorum esu invenenatis sal culinare et oleum Ricini propinari curavimus; agasones Zeae maidis semina magna copia porrigere solent, ut veneni vires frangant. Mart. Reise II. 599.

PAPAVERACEAE.

Argemone mexicana L. DC. Prodr. I. 120.

Herba scatet succo turbido acri-mucilaginoso et narcotico; fomentis applicata super bubones et ulcera syphilitica ea discutit et mundificat. Extractum incidens, resolvens, nimiam plexus coeliaci sensibilitatem deprimens, in viscerum abdominalium oppilatione, melancholia, hypochondria exhibetur.

SAPINDACEAE.

Paullinia pinnata L. DC. Prodr. I. 604. *Timbó* v. *Timbó-Sipó* Tupin. *Cururú-apé* Piso I. 114. II. 250. Lib. Princ. 283.

Paulliniae generatim venenosae; haec vero omnium maxime deleteria dicitur. Cortex, folia et fructus scatent materiis narcotica et acri, quae tractui intestinorum ingestae tamquam praesens venenum agunt, praesertim in renes et in cerebrum. Ab Aethiopibus inde venenum praeparatur, quod lenta attamen secura efficacia vitae insidias struit. Digna stirps, quae chemica arte indagetur, et tentandum, quid contra hydrophobiam, melancholiam, mentis alienationes, amaurosin valeat. Aconiti vices forsan gerit. Mart. Reise II. 543 n. 4.

Paullinia grandiflora S. Hil. Flor. Bras. mer. I. 372. *Turari* Lib. Princ. 285.

Vires eaedem ac praecedentis.

ERYTHROXYLEAE.

Erythroxylon anguifugum Mart. *Fruta de Pomba* Bras. Mart. in Abhandl. der K. Bayr. Akad. III. (1840) 361. n. 13 t. 5.

Radicis cortex arbusculae in prov. Cujabensi crescentis pro efficaci contra morsum serpentum remedio praedicatur. Ulteriora medici Brasilienses cum eo instituant experimenta.

Erythroxylon campestre S. Hil. *Cabello de Negro.* (Minas.) Mart. l. c. 373 n. 19. t. 7.

Liber e cortice radicis derasus aqua fervida infusus tamquam purgans propinatur.

ACRIDULA, QUORUM ACTIO PURGATIVA CATHARTINO DEBETUR.

LEGUMINOSAE.

Cassia medica Vell. Vogel Diss. de Cassia n. 20.

Mamangá s. *Lava pratos* Piso I. 85. II. 183. Vell. IV. t. 62. *Fedegozo* (Rio de Janeiro).

Folia ob vim refrigerandi et abstergendi laudantur a Pisone, qui addit, ea vulneribus et ulceribus frequenter applicari. Illis vero quoque vis purgativa inest, et decocto propinari solent.

Cassia rugosa Don. Vogel l. c. n. 26. *Boi gordo.* (Minas.)

Cassia splendida Vogel l. c. n. 24.

Cassia mon' aden Vell. IV. t. 63.?

Cassia laevigata Willd. Vogel l. c. n. 33.

Cassia tropica Vell. IV. t. 64.?

Cassia occidentalis L. Vogel l. c. n. 37. *Pajomarioba* supra 11.

Cassia sericea Sw. Vogel l. c. n. 46. *Fedegozo, Matapasto* supra 11.

Cassia cathartica Mart. *Sene do Campo.* (S. Paulo, Minas.) Mart. Reise II. 548 n. 11. Herb. Flor. Bras. n. 722.

Cassia magnifica Mart. Herb. Flor. Bras. n. 141.

Cassia falcata L. DC. Prodr. II. 497 n. 89. *Fedegozo* Bras.

Herba in ruderatis per omnem Brasiliam frequens, odoris nauseosi, continet: chlorophyllum, materiam flavo-tingentem, gummi, cathartinum, kali et calcaream acidis vegetabilibus nupta, in cinere kali sulfuricum et muriaticum, calcaream carbonicam, magnesiam, siliceam.

Species hic enumeratae et plures aliae per vastam Brasiliam crescentes pro foliis Sennae aegyptiacae in usum medicum vocan-

tur scopo laxativo et cathartico. Effectus omnium similis, sed aliarum folia mitiora sunt, alia tormina excitant. Cassia cathartica et sericea pluribus praeferendae. Illarum dosis eadem est ac Cassiae nostratis.

Poinciana pulcherrima Lam. supra 55.

Folia effectu cathartico cum foliis Coluteae arborescentis conveniunt.

Praeter allatas Leguminosas passim in medicinam receptas multae aliae cathartino pollent, et ideo equis atque mulis si inter herbas pascuas devorantur tormina et dysenteriam afferre possunt. In tales si illae bestiae incidunt primis post siccitatem pluviis progerminantes nonnunquam morte nimium esum reluere expertum est. Quas inter *Ervas venenosas* adduco:

Neurocarpum longifolium Mart. Bentham in Annal. Musei Vind. II. 116 n. 3.

Neurocarpum frigidulum Mart. Benth. ibidem n. 4.

Neurocarpum cajanifolium Presl. Benth. ibid. n. 5.

Neurocarpum ellipticum Desv. Benth. ibid. n. 6.

Martia physalodes Leandro in Act. Acad. Mon. VII. 233. t. 12.

Centrosema Plumieri Benth. l. c. 118 n. 3.

Clitoria fluminensis Vell. VII. t. 128.

ACRIA DRASTICA, QUORUM ACTIO PRAECIPUE PENDET A RESINA DURA (α); ADMIXTIS VARIA RATIONE MATERIA EXTRACTIVA AMARA, RESINA ELASTICA, PARTICULIS SALINIS VEL MUCILAGINOSIS.

Medicamina sunt efficacia drastica conspicua, sed inter se tam compositione elementorum, quam modo, quo in diversa organa agunt, mire varia. Materiae quibus princeps eorum actio debetur nondum ita sunt chemica arte explicatae atque in purum statum reductae, ut de cujusvis remedii vera indole ut in organismum efficacia securum judicium ferri possit; id tamen conjicio, elementa secundaria, quae nomine *Aloini*, *Bryonini*, *Elaterini* s. *Momordicini*, *Colocynthini*, *Tayuyini*,

Euphorbiini, *Scammoniini*, *Jalappini*, *Hurini*, *Crotonini*, *acidi jatrophici*, *ricinici* et *manihotici* a variis Chemicis designata et characteribus plus minus certis sunt constituta, in hac Brasiliensium drasticorum serie occurrere omnia et alia nonnulla, adhuc ignota, inde elicitum fore. Quum vero vel eorum, quae apud nos in usum medicum recepta sint intima natura et elementaris compositio hac aetate delitescat, vix in vituperii periculum incurrere mihi videor, dum haec omnia neglecto vero ordine, quem singula pro natura sua chemica sibi vindicent, componerem. Is autem a veritate haud ita multum aberrabit, qui contendat, illorum virtutes generatim diversas esse quoad diversos plantarum ordines, quibus singula simplicia sint adscribenda. Quam ob causam in cooptandis his catharticis et drasticis ad ea erit respiciendum, quae de affinium pharmacodynamia nobis experientia est traditum. Medicus Brasiliensis e. g. de diversa Scammonii, Colocynthidum, Aloës, Jalappae aut olei Crotonis in organismum actione edoctus ex apparatu medicaminum Brasiliensium haud difficile poterit seligere ea, quae certo casu ex analogia prae aliis debeant esse indicata.

LILIACEAE.

Aloë vulgaris Lam. barbadensis Mill. Röm. Schult. Syst. Veg. VII. 693.

Caraguata v. *Erva babosa* Piso II. 193. Marcg. 38. Lib. Princ. Aloë perfoliata Vell. III. t. 123.

Planta jam Pisonis et Marcgravii tempore in Brasiliam introducta erat; attamen ex illius scriptis vix liquet, anne pro egregii remedii matre jam fuerit cognita, potius eam cum Agave americana uterque scriptor commiscuit. In prov. Sebastianopolitana et Bahiensi a curiosis quibusdam agricultoribus cultam vidi, nec illius regionis coelum respuit, sed pro commercio colendam se vix ac ne vix quidem commendat, quum foliorum succus inspissatus, quem Aloë s. gummi Aloës vocant, parvo pretio ematur. Usus Aloës inter medicos Brasilienses ob gastricum morborum characterem ibi saepe stationarium multiplex.

Allium sativum L. *Alho ordinario* Lusit.

Allium Cepa L. *Cebola ordinaria* v. *das hortas* Lusit.

Allium ascalonicum L. *Chalotas das Cozinhas* Lusit.

Allium scorodoprasum L. *Alho grosso d'Hespanha* Lusit.

Herbae hortenses similiter atque in Europa usu tam medico quam diaetetico adhibitae.

AMARYLLIDEAE.

Amaryllis. *Lirio* Bras. *Tuquyrá* v. *Tykyrá* Tupin.

Amaryllis Bella Donna L. Redouté Liliac. t. 180. Vell. III. t. 116.

Amaryllis Reginae L. Redouté l. c. t. 9.

Amaryllis Principis Salm. in N. Act. Ac. N. Cur. X. (1820) t. 9. Amaryllis princeps Vell. (var. multiflora?) III. t. 115.

Bulbus harum Amaryllidum scatet succo acri, ex parte volatili, drastico, diuretico, emetico, majore dosi venenoso. Varius apud Indos bulborum Amaryllidum usus est, praesertim ad incantamenta et veneficia. Quorumdum bulborum succus venenum ingreditur, quo hastas et sagittas munire solent, et mihi narrabant Indi in ditione Japurensi habitantes, pulverem bulbi exsiccati Amaryllidis cujusdam flore aureo donatae dum cuidam inscio super linguam inspergatur, vel parva dosi, certo temporis spatio, certissimam necem, protracta tabe, inducere. (In libro Principis nomine *Tupaipi* 383 bulbus cum foliis, ni fallor, Amaryllidis, exhibetur, contra hoc nomine Piso I. 117. II. 235 habet iconem Orchideae, quam Marcg. 35 rectius *Urucatú* nominat.)

IRIDEAE.

Ferraria purgans Mart. Reise II. 547 n. 19. *Ruibarbo do Campo, Pireto* v. *Piretro.*

Ferraria cathartica Mart. l. c. 548. *Ruiburbo do Campo etc.*

Rhizoma Iridearum in altis campis prov. Minarum et Bahiensis crescentium continet resinam acridulam muco et amylo nuptam et dosi 3 — 4 drachmarum pro cathartico exhibetur.

Sisyrinchium (? rectius nov. genus: Poarchon) galaxioides B. A. Gomes in Act. Ac. Uliss. III. (1812) Mem. Corr. 99. — Ferraria Manso Enumeraçao 23.?

Radix plantae, quae tupinice *Maririçó* vel *BarerIçó*, apud Brasilienses *Capim Rey* audit, flava, inodora, saporis dulciusculi, leniter purgat, tam per os sumta, quam enemate applicata.

Nonnullae Irideae, *Vareta*, *Batahinha* vel *Bareriçó do campo* dictae, ad Cipurae vel Cypellae genera pertinentes, allatis efficacia inferiores, heic omittuntur.

NYCTAGINEAE.

Mirabilis dichotoma L. *Bonina*, *Boas Noites*, *Bellas Noites*, *Maravilha* Lusit.

Radix drastica contra leucorrhoeam, hydropem et herpetem passim in usu est. Radicis siccatae dosis est drachma.

CONVOLVULACEAE.

Piptostegia (Hoffmsgg.) Gomesii Mart. *Batata de purga* (Minas).

Convolvulus operculatus B. A. Gomes in Act. Acad. Uliss. III. (1812) Mem. Corresp. 27 c. ic. Ipomoea operculata Mart. Reise II. 547 n. 17. — Convolvulus contortus Vell. II. t. 48.

Radix tuberosa drastica. Dosis radicis drachma dimidia ad unam, resinae scrupulus unus ad duo.

Piptostegia Pisonis Mart. *Jalapa* (S. Paulo), *Batata purgante* v. *Ipú* (Minas), *Purga de Amaro Leite* (Goyaz).

Jiticucú Piso I. 94. *Jetucú* s. *Mechoacanna* Piso II. 253. addita icone calycis fructiferi. Convolvulus hederacei var.? Godoy Torres in Patriota Junho 1814. 64. Operculina Turpethum Manso Enumeraçaô 16.

Radix tuberosa simili virtute drastica gaudet ac praecedentis et eadem dosi porrigitur. Faeculae radicis (*Tipioca de purga* s. *Gomma da Batata*) vires quam integrae radicis vel resinae ex illa paratae mitiores sunt et jam ab optimo Pisone commendantur, dosi drachmae unius in pueris, duarum vel trium in adultis. In hujus faeculae 1000 partibus 947 sunt amyli, 40 resinae drasticae, 13 extracti fusci: Buchner. Repert. Pharm. XXXI. 394.

Ipomoea maritima R. Br. *Batata do mar, Salsa da Praya* Bras.
Convolvulus Pes Caprae et maritimus L. Vell. II. t. 62.
Convolvulus marinus Piso I. 103. II. 258. Plum. edit. 1693 t. 104.

Radix elongata lacte scatet drastico et iisdem indicationibus ac praecedentes inservit. Caules et folia a Pisone tamquam emollientia laudantur.

Praeter allatas Convolvulaceas purgativas aliae laudantur a cl. Manso in libello: Enumeraçaô, quae ulteriore examine egent:

Convolvulus paulistanus, *Jalapa* (S. Paulo) Manso l. c. 17 n. 19.

Convolvulus pendulus, *Jalapinha* (S. Paulo) Manso l. c. n. 20.

Convolvulus puniceus Manso l. c. 18 n. 21. (Mato Grosso.)

Convolvulus polyrrhizos Manso l. c. n. 22. (Mato Grosso.)

Convolvulus giganteus Manso l. c. n. 23. (Mato Grosso.)

Convolvulus ventricosus, *Purga de Cavallo*, Manso l. c. 20 n. 24. (In ripa fluvii Paraná.)

CUCURBITACEAE.

Trianosperma ficifolia Mart. *Tayuyá, Tayoiá* Tupin. — *T. grande* v. *de Pimenta Comari, Abobra* v. *Abobrinha do mato.* (Rio, S. Paulo, Minas, S. Catharina, Rio Grande do Sul.)
Bryonia bonariensis fici folio Dill. Hort. Elth. t. 50. — Bryonia ficifolia Lam. DC. Prodr. III. 308. — Br. pinnatifida Vell. X. t. 90. — Momordica cordatifolia Godoy Torres in Patriota 1814. III. 71. Manso Enumeraçaô 34 n. 77. — Mart. Plant. med. et oec. Bras. ined. t. 69 (♂), t. 70 (♀).

Planta antiquitus Indis cognita, apud Megapotamenses et Minarum incolas ob vim sane mirabilem purgandi, resolvendi et mundificandi jure celebrata. Usus decocti frequens in febribus malignis gastricis et putridis, morsu serpentum, extracti in morbis chronicis, ut in syphilitide, hydrope cum torpore, in oppilationibus viscerum abdominalium, hepatis praecipue et glandularum mesaraicarum, in arthritide et artuum tumoribus, amenorrhoea, mania, melancholia,

epilepsia, elephantiasi. Decoctum amarissimum et nauseosum salivam, emesin ciet et sudores, mox catharsin. Libra caulis recentis dimidia, siccati unciae 4 cum 4 libris aquae coquentur ad 3 remanentiam, quo decocto per biduum assumto 10 ad 20 alvi ejectiones consequuntur. Extractum pilulis porrigitur. In inflammatione ani *Bicho do cú*, morbo endemico in prov. mediterraneis et Pernambucana, pariter atque in ulceribus syphiliticis, scorbuticis, in elephantiasi lotiones et cataplasmata cum foliis parata mirifice prosunt. Multum haec continent materiae flavo tingentis. Caulis late sarmentosus (*Sipo de Tayuyá*) continet: principium sui generis, *Tayuyinum*, resinam, oleum pingue, materiam extractivam gummosam, aliam, quae acetate plumbi praecipitatur, materiam saccharino-gummosam, amylon, kali acidis vegetabilibus nuptum, kali nitricum et muriaticum et fibram vegetabilem: Herberger. Cfr. Compilador em Porto Alegre 1832. 18. Jan.

Trianosperma Tayuyá Mart. *Tayuyá*, *T. de fruta encarnada*, *Abobrinha do Mato*. (Rio.)

Bryonia Tayuyá Vell. X. t. 89. *Taioia* Marcg. 27.

Radix tuberosa, napiformis, spongiosa, flavescens, epidermide sordide fusca, sumitur in pulverem redacta, parva dosi pro emetico, majore pro drastico. Mart. Herb. Fl. Bras. n. 248.

Trianosperma arguta Mart. *Tayuyá*. (Rio de Janeiro.)

Trianosperma glandulosa Mart. *Tayuyá*. (Pará.)

Bryonia glandulosa Pöppig. Icon II. t. 175.

Genus hic allatum a cl. Torrey et A. Gray tamquam Bryoniae subgenus (in Flora of North America I. 540) indicatum, cui praeter B. Boykinii illorum auctorum et B. racemosam Mill. quoque adnumeranda est Alternasemina Tayuya Manso Enumeraçaô 35 n. 79, plures species offert drasticas summae efficaciae in systema lymphaticum.

Wilbrandia hibiscoides Manso l. c. 30 n. 68. *Tayuyá de Quiabo* (Minas et S. Paulo), *Gonú* (Minas).

Wilbrandia drastica Mart. *Abobrinha do mato*. (Minas.)

Momordica verticillata Vell. X. t. 96.

Wilbrandia scabra Mart. *Abobrinha do mato.* (Rio.)

Harum plantarum radix tuberosa pariter ac praecedentium pollet resina acri, vi incidente et drastica insigni. Usus in hydrope, lue venerea, erysipelate chronico; hauritur pulvere, decocto, extracto.

Cayaponia diffusa Manso l. c. 32 n. 70. *Purga do Gentio, do Caboculo.* (Minas, Rio.)

Bryonia pilosa Vell. X. t. 86.?

Cayaponia cabocla Mart. *Purga do Gentio, do Caboculo.* (Minas, Rio.)

Bryonia cabocla Vell. X. t. t. 38.

Radices tuberosae drasticae; propinantur infuso frigide parato, dosi 2 drachmarum. Item fructus unicus valet ad promovendas plures alvi dejectiones. Usus in hydrope et morsu serpentium. (Pertinent hae stirpes ad idem genus, cui Bryonia septemlobata Vell. X. t. 85, Br. fluminensis Vell. X. t. 87 et Br. ternata Vell. X. t. 91 adscribendae.)

Lagenaria vulgaris Ser. DC. Prodr. III. 299. *Cabaço, Cocombro, Abobara do Carneiro* Lusit.

Cucurbita lagenaria L.

Species vix ab Europaeis in Brasiliam introducta, cujus potius plures varietates antiquitus ab Indis coluntur, non solum in usum domesticum cedit sed inter remedia drastica summae efficaciae militat. Est varietas carne subdulci-amaricanti, alia amarissima, et quo amarior eo fortior in intestina agit. In viscerum obstructione, melancholia, chlorosi enemata e peponii pulpa recente (dosi 2 drachmarum) praescribuntur, quae nimie applicata haemorrhagiam lethalem causasse auctor est cl. Manso Enumeraçaô etc. 33 n. 76.

Luffa purgans Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 68. *Buchinha.*

Extractum fructus Colocynthidi substituitur, praesertim in hydrope et ophthalmia chronica; dosi 3 granorum catharsin promovet, majore alvum fortiter solvit. Mart. Reise II. 546 n. 14 nomine Momordicae purgantis. Eodem modo inservit:

Luffa drastica Mart. Momordica Luffa Vell. X. t. 93.

Momordica operculata L. DC. Prodr. III. 311 n. 7. *Bucha de Paulistas* (Minas). *Purga de Joaô Paes* (S. Paulo).

Stirps in mediterraneis Brasiliae spontanea, cujus bonam iconem dedit Commelyn Pl. rar. t. 22, fructum largitur drastica materie pollentem. Usus in hydrope anasarca, chlorosi, amenorrhoea, herpete. Extractum frigide paratum dosi octo granorum purgat et urinam ciet.

Momordica Charantia L. DC. Prodr. III. 311 n. 3. *Erva de S. Caëtano* Bras.

Momordica operculata Vell. X. t. 92.

Planta in ruderatis, vicinia aedium haud infrequens (efferata?) herbam (Folia Pandipavel Off. olim.) offert amaram, quam decocto propinare solent Brasilienses in amenorrhoea, lochiarum tarditate, colica verminosa.

Melothria pendula L. DC. Prodr. III. 313. *Cereja de purga* (S. Paulo).

Usus fructus drastici praesertim in equorum morbis. Dosis his porrigitur 3—4 fructuum, viro dimidii vel unius.

Praeter allatas Cucurbitaceas multae aliae eidem scopo drastico inserviunt, ex parte minus bene notae, uti e. g. species ab optimo Manso nomine *Espelina*, *Tomba*, *Anna Pinta* (l. c. 28 — 32) memoratae.

EUPHORBIACEAE.

Euphorbiacearum drasticarum, quae in Brasilia crescunt, triplex est indoles. Aliae, uti Jatropha Curcas et Anda, seminibus donatae sunt amygdalinis, quae cum multo oleo pingui substantiam continent crystallinam, non volatilem, in aqua non solubilem, in alcohol vero solvendam et alkalinam naturam prae se ferentem, porro acidum quoddam, verosimiliter jatrophicum. Hae alvum evacuando tamquam drastica pura se habent. Aliae, uti Euphorbia papillosa, in radice resinam offerunt acrem cum materiis gummosis et ceraceis vel pinguioleosis et salibus combinatam; quarum virtus non in tractum intestinalem solummodo agit more catharticorum, sed in viscera quoque ab-

dominalia incitando, resolvendo, liquefaciendo. Aliae denique magna succi lactei quantitate turgent, cujus indoles praecipue a resina elastica pendet. Per os sumtae scopum anthelminticum explent, externe applicatae epidermiden corrodunt, vulnera mundificant, processum plasticum emendant et dirigunt liquefaciendo et incitando. His affines aliae acredine volatili praeditae, quas separato capite pertractamus.

Jatropha Curcas L. *Pinheiro de purga*, *Pinhaô paraguay* Bras.

Mandubí-guaçú v. *Munduy-guaçú* Piso I. 83. II. 179 (alia icon) Marcg. 96. Lib. Princ. 199.

Frutex in aedium vicinia et in hortis passim invenitur, jam autochthonibus e tribu Tupi notus, cujus semina *Pinhoês de purga* Brasiliensibus dicuntur, in Europae officinis nomine Seminum Ricini majoris s. Ficus infernalis s. Nucum catharticarum v. barbadensium asservata. Sunt haec semina drastica et emetica, dosi drachmae dimidiae, et ob nimiam, qua exturbant, vim nostra aetate obsoletis accensentur. Oleum ex iis expressum s. Oleum Ricini majoris s. Ol. infernale est oleo Crotonis comparandum.

Anda brasiliensis Raddi. *Anda-açu*, *Indayaçu*, *Purga de Gentio* (Rio, S. Paulo), *Cocco de Purga*, *Purga dos Paulistas*, *Frutta d'Arara* (Minas).

Andá, Piso I. 72. II. 148. Marcg. 110 (c. ic. fructus, exclus. ic. herbae et floris, quae ad Bignoniaceam pertinet). — Johannesia princeps Vell. Alographia dos Alkalis fixos Lisb. 1798. I. 199 c. ic. B. A. Gomes in Act. Acad. Uliss. III. (1812) Mem. Corr. 6. c. ic. — Anda brasiliensis Raddi Quarante piante etc. 1821. Mart. Reise I. 285 n. 44. Amoen. botan. Monac. 1. t. 1. — Anda Gomesii Ad. Juss. Euphorbiac. 39. 78. S. Hil. Pl. us. t. 54. 55. — Andicus pentaphyllus Vell. II. t. 86.

Semen unicum pro viro medicamentum purgans exhibet. — De ejus indicatione conf. autores citatos. Pisces quoque seminibus inebriantur. — Forma nucum, quae citatis nominibus foro veniunt, ita diversa, ut sit suspicandum, plures adesse species, quarum unam, nuce valde compressa et acuta, ill. Com. de Hoffmansegg nomine Anda Martii communicavit.

Cnidoscolus Marcgravii Pohl. *Pinha, Queimadeira* Bras. *Pino* Lib. Princ. 483 (non Pino Piso II. 235. Marcg. 48). Marcg. 79 fig. dextra anonyma. Jatropha herbacea Ait.

Semina hujus plantae pariter ac praecedentium vi drastica pollent et iisdem indicationibus adhiberi possunt, sed quum minus tuto agant vix in usum vocantur.

Sapium ilicifolium Willd. *Caxim* Tupin.

Semina numero 2 vel 3 alvum fortiter movent.

(Ricinus communis L. Vell. X. t. 62, cujus semina, s. semina Cataputiae majoris, oleo pingui, Ol. Castoris, Palmae Christi, scatent inter pingui-oleosa mitia jam supra 20 memoratur.)

Adenoropium opiferum Mart. *Jalapão, Raiz de Lagarto, de Teiú* v. *de Tiuh.* (Minas, S. Paulo, Goyaz.)

Jatropha opifera Mart. Reise II. 548 n. 20. Adenoropium ellipticum Pohl. Icon. I. 13. t. 9. Jatropha Lacerti Manso Enum. 8 n. 9.

Radix stirpis perennis per prov. Minarum, S. Pauli, Bahiensem et Pernambucanam crescentis continet: materiem pinguem, butyro similem, extractivum acri-amarum, stryphnum, quod ferro viridi colore praecipitatur, materiam rubro-tingentem, mucilaginem amylon, calcaream malicam, acido praevalente; in cinere: kali acidis carbonico, sulfurico, muriatico nuptum, calcaream carbonicam et siliceam. Inter remedia incidentia, purgantia, derivantia jure laudatur. Usus praesertim in obstructione viscerum abdominalium, ictero, hydrope. Dosis extracti est drachma, extracti frigide parati drachma dimidia.

Maprounea brasiliensis S. Hil. Pl. usuell. t. 65.

Frutex vel arbuscula, a cl. S. Hilario in prov. Minarum, a me in mediterraneis prov. Bahiensis inventa, hic adducitur, quum ex illius peregrinatoris testimonio ab incolis in morbis digestionis propinetur.

Euphorbia papillosa S. Hil. Pl. usuell. t. 18. *Maleiteira, Leiteira, Leitariga, Luzetro, Lechetrez* Bras. australis.

Radix chemica arte examinata materias obtulit sequentes: resinam elasticam, resinam in alcohol et aethere solubilem et aliam in

aethere non solubilem, gummi, materiam flavo tingentem, stryphnum; in cinere kali acidis muriatico, carbonico et sulfurico combinatum, calcaream carbonicam et phosphoricam, siliceam. Usus in repletione intestinorum pituitosa tamquam resolvens et purgans. Icon edenda in Mart. Pl. med. et oec. Bras. t. 75.

Croton antisyphiliticus Mart. *Erva mular, Curraleira* (S. Paulo), *Pé de perdis, Alcanfora.* (Minas).

Croton perdicipes S. Hil. Pl. us. t. 59.

Folia resinoso-acria, aromatica; infuso propinata ut diaphoretica se gerunt, diuretica, nervorum actiones incitantia. Fomento super glandulas inguinales ex viru syphilitico inflammatas applicata mirifice resolvunt, pariter in omni ulcere, fungo articulorum nec non in morsu serpentium conducere perhibentur. Mart. Reise I. 282 n. 21.

Croton fulvus Mart. Reise l. c. n. 22. *Velame do Campo.* (Minas, S. Paulo.)

Croton campestris S. Hil. Pl. us. t. 60. *Velame do Campo.* (S. Paulo.)

Radicis et herbae decoctum efficacia cum praecedente certat.

Julocroton phagedaenicus Mart. Herb. Flor. Bras. n. 164. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 40. — Croton cordatum Vell. X. t. 66.?

Herba contusa ulceribus male moratis imposita vim plasticam corrigit, mundificat et carnis formationem incitat.

Phyllanthus diabeticus Mart. — Phyllanthus Niruri Vell. X. t. 16.

Phyllanthus Niruri L. et Phyllanthus parvifolius Steud., qui Ph. microphyllus Mart. Reise I. 285 n. 42 (non Kunth.).

Harum specierum a Brasiliensibus *Erva Pombinha* dictarum herba et semina contusa in diabete mellito (Urinas doces) a nonnullis medicis Brasiliensibus usitantur. Decoctum cum syrupo corticis Aurantiorum propinant.

Phyllanthus Conamí Sw. *Conabí, Conawí, Cunabi* Tupin. (Para, Rio Negro.)

Conami brasiliensis Aubl. Fl. Guj. t. 354.

Herba odoris virosi pisces inebriat, nec non ab Indis tamquam diureticum adhibetur infuso propinata.

Ichthyothere Cunabi Mart. in Buchner. Repert. d. Pharm. XXXV. (1830) 195. DC. Prodr. V. 504. Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 99.

Euphorbia Coecorum Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 73. *Andurinha* v. *Audourinha* Bras.

Euphorbia linearis Retz. Mart. Reise I. 284 n. 39.

Euphorbia hypericifolia L. et brasiliensis Lam. *Erva de S. Luzia.* (Rio, S. Paulo, Minas, Bahia.)

Euphorbia serrulata Vell. V. t. 17. E. ophthalmica Pers. Ench. II. 13. n. 53.

Utriusque speciei herba contusa in cataplasmate ulceribus partium teneriorum imposita, praesertim in cachexia syphilitica conducit. De prioris succo multum fabulantur Brasilienses tamquam miri effectus in vulneribns oculorum, quae illius guttulis instillatis extemplo prima intentione sanentur. Indurationem corneae succi acredine liquefieri et mox evanescere b. M. I. de Paiva mihi auctor fuit.

Euphorbia phosphorea Mart. Reise II. 612. 726. 746. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 74.

Frutex, cujus lac e ramulis effluens phosphori adinstar lucens vidi, in prov. Bahiensis mediterraneis crescit. Ejus ramuli contusi ulceribus immundis et carbunculis fomento imponuntur. (De frutice *Sipo de Cunanam* lucente, ibidem proveniente, cfr. Mornay in Phil. Transact. 1816. 279.)

Euphorbia cotinifolia L. Commel. Hort. I. t. 15. (Rio Negro.)

Succus lacteus valde venenosus. Nonnullae Indorum gentes sagittas illo imbuere et fasces herbae per stagna circumtrahendo pisces inebriare solent. Cataplasmata herbae contra condylomata syphilitica adhibentur.

Pedilanthus tithymaloides Poit. (Rio Negro.)

Omnis planta turget succo lacteo acri, quo incolae utuntur ad exstirpandas verrucas. Item contra gonorrhoeam, condylomata sy-

philitica, ulcera maligna commendatur; extractum herbae et praesertim radicis contra syphilitidem et amenorrhoeam.

Sapium Hippomane Meyer Fl. Esseq. 275.
Hippomane biglandulosa L. Plum. Icon. t. 171 f. 2.

Sapium aucuparium Jacq. Meyer l. c. 276. Jacq. Amer. t. 158.
Hippomane biglandulosa Aubl. Lam. t. 792.

Arbores in vicinia maris crescentes succo lacteo turgent, qui aëre flavescit et spissescit atque ad aucuparia usurpatur. Externe contra condylomata syphilitica, cutis indurationem in elephantiasi et ad corrodendas verrucas commendatur, medicina tamen summa cum cautela praescribenda. Extractum aquosum e foliis praeparatum iisdem in morbis prodesse perhibetur, quos Aconito et Rhoe Toxicodendro expugnare solemus. Dosis grani dimidium ad unum. Culices dum in novellis hujus arboris et Hurae brasiliensis foliis habitassent ictus infligere dicuntur venenosos et quibus immodicus dolor, tumor, exanthema et glandularum inguinalium inflammatio excitarentur. Quibus incommodis Indi mederi solent lotionibus cum succo expresso gemmarum Cecropiae aliisque decoctis mucilaginosis.

Hippomane Mancinella L. Mancinella venenata Tuss. Fl. Antil. III. t. 5.

Arbor in provinciarum septentrionalium littore haud ita rara, venenata, quantum scio in materiam medicam non recepta, ob funestas, quibus pollet virtutes, heic enumeratur. Bignoniam Leucoxylon pro egregio hujus arboris antidoto in India occidentali usurpari, cl. Chisholm tradidit.

Hura brasiliensis Willd. *Oassacú*, *Assacú*. (Pará, Rio Negro.)

Succus lacteus arboris aequatorialis ab Indis tamquam anthelminticum et ad inebriandos pisces usurpatur.

Siphonia. *Páo Seringa*, *Seringeira*, *Xeringeira* Bras. (Pará, Rio Negro.)

Siphonia elastica Pers. Mart. Reise III. 915. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 10.
Jatropha elastica L. fil. Hevea gujanensis Aubl. II. t. 335. Siphonia Cahuchu Rich.

Siphonia rhytidocarpa Mart. Pl. med. t. 11.

Ex his arboribus stillat succus lacteus, qui inspissatus resinam v. gummi elasticum s. Caoutchouc (*Cautecuc*) paraënsem sistit. Resina elastica fossilis dicitur *Tapicho*. Usus metrenchytum ex hac substantia fabrefactorum jam diu inter Indos notus, inde nomen arboris inter Brasilienses receptum. Succus recens cum oleo Ricini contra vermes ab Indis porrigi solet. Semina amygdalina edulia.

ARTOCARPEAE.

Ficus anthelmintica Mart. *Coajingüva* Tupin. (Rio Negro.)

Succus arboris ingentis per silvas amazonicas provenientis tamquam egregium remedium contra ascarides propinatur, dosi 1 — 2 scrupulorum per nonnullos dies continuata. Mart. Reise III. 1128 n. 5. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 77.

Ficus doliaria Mart. *Gamelleira* v. *Figueira branca*. (Rio, S. Paulo, Minas.)

Arbor, cujus lignum leve molliusculum in catinos permagnos secatur, stillat lac acridulum et anthelminticum. Aliae multae Ficus eodem modo inserviunt.

PAPAYACEAE.

Carica Papaya L. et aliae generis species v. supra 23.

Succus arboris et praesertim fructus immaturi, non lactei coloris uti praecedentium sed turbidus, uti Fumariae, saporis amari, ni fallor particulas quoque continet volatiles. Inter anthelmintica a nonnullis recipitur. Ceterum moneo, inter Brasilienses de hac arbore idem commemorari, quod nos de Juglande regia praedicamus, carnem nimirum coctu faciliorem et molliorem reddi ejus vicinia, quam ob causam vidi aviculas e. g. psittacos, priusquam coquo traderentur, in Papayae folia involutas.

APOCYNEAE.

Plumeria phagedaenica Mart. *Sebuü-üva*, i. e. arbor vermium, v. *Sucu-ûba* Tupin. (Rio Negro.)

Succus lacteus arbusculae dosi drachmae vel dimidiae contra vermes ore sumitur; externe contra ulcera immunda, psoriasin et verrucas illinitur. Mart. Reise III. 1128 n. 5. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 66.

Plumeria drastica Mart. *Tiborna.* (Minas, Bahia, Pernambuco.)

Succus recens vel extractum ex eo praeparatum drasticum praebet, quod contra febres intermittentes, viscerum abdominalium obstructiones, icterum et empyema commendatur. Mart. Reise II. 547 n. 18. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 67.

Collophora utilis Mart. *Sorveira.* (Pará, Rio Negro.)

Arbor pulchra sylvestris scatet summa quantitate succi lactei mitis, quo vernicis loco Indi varias res domesticas superducere solent. Medicaminis anthelmintici vices quoque explet dosi 2 — 3 drachmarum, addita emulsione seminum Ricini. Mart. Reise III. 1031. 1128. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 78.

Echites longiflora Desf. *Flor de Babado* v. *de Babeiro.* (S. Paulo, Rio, Minas.)

Stadelmeyer Diss. de Echite Monach. 1840. 64. Ech. augusta Vell. III. t. 18. Lib. Princ. ic. 545.?

Radix napiformis recens continet succum lacteum, exsucca multum resinae, quae drastica pollet virtute. Contra febres putridas equorum et mulorum infuso et decocto ab agasonibus tamquam summae efficaciae remedium praedicatur. Mart. Reise II. 543 n. 3. Pl. med. et oec. t. 61.

Echites alexicaca Mart. Stadelm. l. c. 68. *Purga do campo.*

Planta in campis prov. Paulinae, Minarum, Goyazanae et Mato Grosso crescit. Radix tuberoso-napiformis continet: amylon, materiam extractivam, resinam α, cui efficacia medica prae aliis debetur, materiam acidis vegetabilibus nuptam; in cinere: calcaream sulfuricam et carbonicam, kali muriaticum et sulfuricum, siliceam. Parva dosi resolvit, majore (1—2 drachm.) purgat. In oppilatione viscerum abdominalium, ictero, melancholia commendatur. Mart. Pl. med. et oec. t. 62 iconem dabit.

Echites pastorum Mart. Stadelm. l. c. 52. *Purga do Pastor.*

Earumdem terrarum incola eadem virtute et indicatione ac praecedens nuncupanda. Pl. med. edendae t. 63.

Echites grandiflora Mey. Esseq. 131. Stadelm. l. c. 49.

Echites Cururú Mart. Reise III. 1129 n. 7. Stadelm. l. c. 78.

Utriusque fruticis subscandentis, in prov. Rio Negro *Sipó Cururú* dicti, lignum aqua infunditur, indeque praeparatur medicina resolvens, majore dosi drastica, qua Indi et coloni europaei in dyspepsia, anorrhexia, viscerum repletione pituitosa, febre gastrica frequenter uti solent. Icon E. Cururú in Mart. Pl. med. et oec. t. 64 edenda.

Echites venenosa Mart. Stadelm. l. 66.

Planta in provinciarum mediterraneis nomine *Erva venenosa* nota, non officinalis, sed pecoribus in pascuis valde noxia.

Thevetia Ahovai L. et congener Cerbera Thevetia (Plum. Amer. t. 18. Piso I. 49.)
sunt frutices lactescentes, quorum cortex, semina et folia inter venena acria et remedia incidentia numerantur. Indis, qui e putaminibus fructuum crepitacula fabricant, herba et fructus ad capiendos pisces in usu sunt; lac vero, folia et semina contusa ulceribus male moratis et vulneribus a morsu serpentium imponere solent, quippe quae corrodunt et mire mundificant.

Rauwolfia canescens Willd. *Canudo de purga.* (Bahia.)

Cortex, praesertim radicis, virtute emetica et drastica pollet; cuti applicitus more epispastici agit.

Allamanda Aubletii Pohl. Icon. Bras. I. 75 n. 5.

Allamanda cathartica Spreng. S. V. 1. 584. Orelia grandiflora Aubl. Guj. I. 271 t. 106.

Allamanda Schottii Pohl. l. c. 73 t. 58. Datura erinacea Vell. II. t. 46.?

Utriusque fruticis cortex et folia decocto hauriuntur pro purgante; majore dosi vomitum movent.

HYPERICINEAE.

Vismia. *Caaopiá* Tupin. *Paó de Lacre* Bras.

Vismia gujanensis Pers. DC. Prodr. I. 542 n. 5.

Caaopia Piso I. 61. II. 124. Marcg. 96.

Vismia micrantha et V. laccifera Mart. (V. longifolia S. Hil.)

Succus gummi-resinosus, flavus, e fruticum libro exsudans et in baculos ignei coloris congelascens medicamentum sistit incidens, resolvens, drasticum, quod Gummi Guttae vices in Brasilia gerere valet. Dosis granorum 3—4. Emulsione amygdalina et syrupo Aurantiorum subigitur. Mart. Reise II. 552 n. 37.

COMBRETACEAE.

Terminalia argentea Mart. Zucc. *Caxapora do Gentio.* (Minas.)

Gummi resina, quae hac arbore funditur, iisdem indicationibus quibus praecedentium exhibetur; efficacia tamen illi posthabenda. Dosis gran. 8—10. Mart. Nov. Gen. et Spec. Bras. I. 43.

Acria emetica, quorum actio praesertim emetino debetur.

Emeticorum brasiliensium chemica indoles est varia quidem, attamen plerisque elementum subesse suspicor, quod *Emetinum* vocatum e 64, 57 C. 7, 17 H. 4, 30 N. 20, 96 O. compositum esse Chemici docuerunt. E paucis hucusque statu puro eductum est, variis substantiis nuptum et iis quasi velatum.

RUBIACEAE.

Cephaëlis Ipecacuanha A. Rich. *Poaya verdadeira* v. *de Botica.*

Ipecacuanha Piso I. 101. II. 231. Marcg. 17. — Mart. Specim. mat. med. Bras. 4 t. 1. S. Hil. Pl. us. t. 6. DC. Prodr. IV. 535 n. 25. Callicocca Ipecacuanha Brot. in Lin. Trans. VI. 137 t. 11. Psychotria emetica Vell. II. t. 22.

Planta celeberrima in Brasiliae orientalis sylvis habitat, nomine tupico *Ipé-caá-goéne* i. e. sarmentum vel plantula ad vias,

quae vomitum excitat, corrupte *Picahonha*, a Brasiliensis *Poaya* v. *Poaya preta* nuncupata. Haec veram praebet radicem vomitoriam officinarum, de cujus historia inter alios auctores adeas Mart. l. c.

Richardsonia. *Poaya branca* v. *do campo* Bras.

Richardsonia scabra L. DC. Prodr. IV. 568. R. pilosa Rz. Pav. S. Hil. Pl. us. t. 8. Mart. Specim. mat. med. Bras. 10 t. 9 f. 13 ic. rad. Plant. med. ined. t. 92. — Richardia brasiliensis B. A. Gomes. Richardsonia brasiliensis Virey.

Richardsonia emetica Mart. l. c. 11. R. rosea S. Hil. Pl. us. t. 7. DC. Prod. IV. 568 n. 2.

Borreria. *Poaya do campo* Bras.

Borreria ferruginea DC. Prodr. IV. 547 n. 47. *P. da praia* (Cabo Frio).

Mart. Herb. Fl. Bras. n. 598. Spermacoce ferruginea S. Hil. Pl. us. t. 13.

Borreria Poaya DC. Prodr. IV. 549 n. 61. *P. do campo.* (S. Paulo, Rio Grande do Sul.)

Spermacoce Poaya S. Hil. Pl. us. t. 12.

Borreria emetica Mart. Pl. med. ined. t. 46. *Poaya de hasta comprida.* (Rio Grande do Sul.)

Borreria verticillata Mey. DC. Prodr. IV. 541 n. 2. Mart. Herb. Fl. Bras. n. 590.

Machaonia brasiliensis Willd. *Poaya do rio, da praia.* (Bahia.)

M. bras. et M. spinosa Cham. in Linnaea IV. 3. Mart. Herb. Fl. Bras. n. 597. — Emmeorrhiza Pohl. Endlicheria brasiliensis Presl. Symb. 84 t. 49.

Omnium harum Rubiacearum radices varia ratione virtutis emeticae participes ab incolis adhibentur. Nulla tamen aeque cito, tuto et jucunde agit, atque illa quam in exordio posuimus.

Manettia cordifolia Mart. Spec. 19 t. 7. DC. Prodr. IV. 363 n. 8.

Radix emetica in hydrope et dysenteria magni habetur et infuso propinatur.

Genus, cui Guanegbina ignita Vell. I. t. 115 synonyma alit species emeticas, e. g. *M. auratifloram* Manso Enu 25 n. 51.

Chiococca anguifuga Mart. *Sipó cruz* (S. Paulo), *Fedoren... Dambre, Raiz preta* v. *de Frude* (Minas).
Mart. Spec. mat. med. 17 t. 5 et t. 9 f. 20. 21 (radix). DC. Prodr. IV. 482 n. 3.

Chiococca densifolia Mart. *Raiz preta, Caninana* (Minas).
Mart. l. c. t. 6. DC. Prodr. IV. 482 n. 2.

Chiococca racemosa Jacq. *Cainca, Cahinca, Cainana, Caninana, Cruzeirinha, Raiz preta, Puaia* Bras. — Vell. II. t. 81.

In harum plantarum radice nauseoso-acri et amara cl. François et Caventou *acidum cahinicum* s. *Cainanium* detexerunt, quod 57, 4 C. 7, 5 H. et 35, 1 O. compositum est. Crystallos minutas exhibet albas stellatim congestas in 600 partibus aquae vel aetheris et in minore alcohol quantitate solubiles. Quod Cainanium cum reliquis radicis elementis medicamentum constituit summae efficientiae, atque inter Brasilienses ob mirificos effectus contra hydropem anasarcam, viscerum abdominalium oppilationem, melancholiam, viperarum ictum celebratum. In renes agit urinas ciendo, in intestina catharsin et emesin incitando, in cutem sudores copiosos promovendo, in uterum embryon propellendo. Extracti scrupulus 1—2 sumitur, decoctum e 4—5 drachmis radicis cum 8 unciis aquae praeparatum pro die, aut pulveris drachma una.

JONIDIEAE.

Jonidium Ipecacuanha Vent. *Poaya branca* s. *da praia* Bras.
Pombalia Ipecacuanha Vand. P. Itubu DC. Prodr. I. 307. — Mart. Spec. mat. med. 14 t. 8 f. 15. 16 (ic. radicis). S. Hil. Pl. us. t. 11. *Ipecacoanha blanca* Piso II. 231.

Jonidium Poaya S. Hil. Pl. us. t. 9. (Minas occident.)

Jonidium brevicaule Mart. l. c. 15 t. 3 et 8 f. 7 (radicis). (Minas orient.)

Jonidium urticaefolium Mart. l. c. 16 t. 4 et 9 f. 17. 18. (Bahia.)

Jonidium parviflorum Vent. S. Hil. l. c. t. 20. (S. Paulo.)
Radices praecedentium emeticae.

Anchietea salutaris S. Hil. l. c. t. 19. *Sipó Sumá* (S. Paulo), *Piriguaia* (Minas).

Noissetia pyrifolia Mart. Zucc. Nov. Gen. I. t. 16. Viola Summá Vell. VIII. t. 161.

Radix fruticis longe repens, odore acri quasi Brassicae, sapore nauseoso linguam vellicante, inter eximia purgantia et emetica laudatur, praesertim in morbis exanthematicis, scopo derivandi, aperiendi, expectorandi. In tusse convulsiva infantium dosi refracta conducit. Dosis radicis 2 drachmarum. Vulneribus cataplasmate applicitur.

POLYGALEAE.

Polygala Poaya Mart. *Poaya do Campo* (S. Paulo).

Mart. Reise I. 285 n. 47. Specim. mat. med. Bras. 13 t. 2 et t. 8 f. 6 (radicis).

Radix emetica, dosi drachmae dimidiae ad unius, praesertim in febribus biliosis propinatur.

Acria, elemento activo volatili donata.

EUPHORBIACEAE.

Manihot utilissima Pohl. *Mandiiba* Tupin. Supra 3.

Acrimoniam volatilem hujus plantae radici inesse lethalem, ignis ope fugandam, inter omnes constat. In medicina ejus usus hucusque non receptus est, attamen vix dubitamus, fore ut contra quosdam morbos, praesertim systematis lymphatici, magno cum successu in auxilium vocetur. Succus ex ejusdem stirpis herba expressus inter antidota radicis recentis numeratur; alia sunt acidum citricum, multum olei pinguis, lactis, dum adfuerint emetica, opium. Succus radicis expressus super ignem, additis fructibus Capsici frutescentis, in extracti formam inspissatus, (*Tycupí* v. *Tucupí* Tupin.) pro jusculorum condimento eodem modo adhibetur, quo apud Indiae orientalis incolas Soya.

Cnidoscolus Marcgravii Pohl. Icon. Bras. I. 59 t. 50. *Pinha, Queimadeira* Lus. Supra 84.

Cnidoscolus neglectus Pohl. l. c. 60 t. 50, porro

Cnidoscolus vitifolius Pohl. l. c. 61 t. 52 et plures aliae species ejusdem generis in stimulis, quibus ramuli et folia armantur, succum acrem continent, qui epidermidi admotus urit, dolorem, tumorem, inflammationem suscitat. Pro urticatione ideo omnes inserviunt, et quandoque summam efficientiam in paralysi artuum a refrigerio praestiterunt.

URTICACEAE.

Urtica caravellana Schrank. *Ortiga* Lusit. Schrank Pl. rar. Horti Monac. II. t. 82.

Urtica baccifera Jacq. Hort. Schönbr. III. t. 387.

LOASEAE.

Blumenbachia latifolia Camb. in S. Hil. Flor. Bras. mer. II. 209 t. 118.

Blumenbachia insignis Schrad. et Loasa parviflora Schrad. Camb. l. c. 207. 211. DC. Prodr. III. 382.

Hae stirpes et plures aliae valde urentes pro urticatione possunt adhiberi. Ut enim in largissima Brasiliae natura et ea non deficiant, quae vulnerant et urunt, Urticaceae plures per boreales imperii provincias sunt distributae, Loaseae per australes.

AROIDEAE.

Dracontium polyphyllum L. *Jiraraca* (Pará).

Pluk. t. 149 f. 1. Tuber farinaceum acre contusum cuti applicitum rubefacit, vulneribus ea mundificat. Interne contra asthma, chlorosin, amenorrhoeam, melancholiam iisdem indicationibus commendatur, quibus inter Europaeos recens tuber Ari maculati. Vulgo creditur, contra morsum viperarum, quibus stirpis petioli colore et variegatione assimilantur, multum valere. *Erva de S. Maria* Piso II. 240.

Arisaema Pythonium Blume. Kunth. Enum. III. 20 n. 26.

Tuber plantae in prov. Bahiensi crescentis ab Indis contra morsum serpentium externe applicatur.

Philodendron. *Imbé* v. *Guaimbé* Tupin. *Tracuáns* Bras.

Philodendron Imbé Schott. *Sipó de Imbé* Mart. Flor. Bras. Tab. physiogn. expl. p. LXXX. Arum arborescens Vell. IX. t. 109.

Philodendron grandifolium Schott. Kunth. Enum. III. 48 n. 7. Arum Jacq. Hort. Schönbr. II. t. 189. A. amphibium Vell. IX. t. 112.

Philodendron hederaceum Schott. Kunth. Enum. III. 49 n. 11. Arum Jacq. Amer. t. 152.

Philodendron ? oblongum Kunth. Enum. 51 n. 22. Arum Vell. IX. t. 115.

Philodendron ? arborescens Kunth. l. c. 48 n. 4. *Aninga* v. *Aninga-üva* Tupin. (Pará.)

Omnes hae species et pleraeque aliae congeneres scatent succo turbido acri ad mundanda vulnera et ulcera male morata peridoneo. Folia recentia vel caulis contusus cataplasmate applicantur. Caulis et foliorum uncia cum aquae libra et dimidia ad remanentiam dimidii cocta in fomentis et balneis contra dolores rheumaticos, testiculorum et artuum tumores optime conducit, teste cl. Emil. Joaq. da Silva Maio M. D. in Revista med. Flum. V. (1839) 292. Nonnullarum radix exsiccata dosi 5—25 granorum in hydrothorace propinari auctor est cl. Manso in Enumeraçaô 21.

Caladium bicolor Vent. Kunth. l. c. 42. *Pé de Bezerro*, *Papagaio* Bras. *Tayurá*, *Tinhorâo*, *Tanhorâo*, *Tanhorom* Tupin. Arum vermitoxicum Vell. IX. t. 108.

Succus expressus catharticus, anthelminticus, praesertim contra ascarides praescribitur, interne et enemate.

Caladium Poecile Schott. et C. violaceum Desf. supra 2, pariter ac Caladium esculentum Vent. ibidem omissum, non solum ob tubera esculenta magni usus in apparatu diaetetico, sed etiam ob acredinem herbae volatilem in infuso frigide parato pro gargarismate inserviunt contra subinflammatorium statum faucium et

tonsillarum, nec non in fomentis contra ulcera maligna, praesertim pedum.

Monstera Adansonii Schott. Kunth. Enum. III. 60.

Dracontium pertusum L. Plum. Icon. t. 56. 57. Jacq. Hort. Schönbr. II. t. 184. 185. Vell. IX. t. 117.

Succus recenter expressus causticus. Decoctum multo mitius, in fomentis et balneis praescribitur contra hydropem pedum et dolores arthriticos. Herba et caulis contusus in regione processus mastoidei applicatus aurium dolori et tinnitui medetur, in regione laryngea raucedini. Substituitur quasi radici Armoraciae.

Pistia occidentalis Blume. *Flor d'Agoa*, *Lentilha d'agoa* Lusit.

Pistia stratiotes Jacq. Amer. t. 148.

Herba aquis puris totius fere Brasiliae libere innatans, mucilaginoso-acris, contusa ad mundanda apostemata imponitur. Pro usu interno in infuso contra mictum cruentum, diabetem insipidum, tumores artuum erysipelate affectorum, herpetem, haemoptysin antiquitus commendata. Inter Aethiopes narratur, fontes, quorum aquae innatat, inde materia acri ita posse impraegnari, ut veneni instar tormina et dysenteriam excitent.

CRUCIFERAE.

Plantarum ordo, virtute antiscorbutico insignis, Brasiliae tropicae fere exul paucissimis solummodo plantis ibidem repraesentatur casu ex Europa introductis. Quarum e numero hic adducimus sequentes:

Nasturtium officinali R. Br. DC. Prodr. I. 137 n. 1. Sisymbrium fluviatile Vell. VI. t. 109.

Senebiera pinnatifida DC. Prodr. I. 203 n. 5. Lepidium Americanum Vell. VI. t. 108.

Cochlearia Armoracia L. DC. Prodr. I. 173 n. 4 et Brassicae nonnullae species in australibus imperii provinciis coli possunt.

Acria, quae capsicino pollent.

SOLANEAE.

Capsicum. *Pimenta da terra* Bras. *Quiya* v. *Quiynha* Tupin., *Axi* Caraibice. Piso I. 108. II. 225. Lery edit. 1586. 166. Marcg. 39.

Capsicum annuum L. Fingerhuth Monograph. Capsici 1832. 12. t. 2. *Quiyaqui* Marcg. 39 n. 1.

Capsicum conoides Mill. Fingh. 14. t. 3. C. conicum Vell. II. t. 9.

Capsicum frutescens W. Fingh. 17 t. 4. C. Comarim Vell. II. t. 2. *Quiya-Cumari* Marcg.

Capsicum baccatum L. Fingh. 18 t. 4. *Quiya apuá* Marcg.

Capsicum cerasiforme W. Fingh. 19 t. 5. *Quiya apuá* Marcg. Lib. Princ. 305.

Capsicum grossum W. Fingh. 21 t. 5. 6. C. umbilicatum Vell. II. t. 7.

Capsicum longum DC. Fingh. 23 t. 6. 7. *Pimentaô comprido* Bras.

Capsicum pendulum W. Fingh. 25 t. 7. C. baccatum Vell. II. t. 3. *Pimenta Malaguetta* Bras.

Capsicum cordiforme Mill. Fingh. 29 t. 9. 10. *Pimentaô* Bras. C. Axi Vell. II. t. 6. *Quiya-açu* Marcg.

Capsicum ovatum DC. Fingh. 28. t. 9. C. odoriferum Vell. II. t. 8.

Plantae inter Indos antiquitus notae et cultae. Fructus, qui Piper indicum s. hispanicum dicuntur, pollent resina balsamica acri sui generis, quam *Capsicinum* vocant, extractivo amaro-aromatico saporis calefacientis, alio gummoso, substantia albuminosa, mucilagine, cera, kali citrico, phosphorico et muriatico. Usus frequentissimus contra tarditatem alvi, anorrhexiam, apepsiam, atoniam linguae et faucium, anginam gangraenosam, amaurosin. Externe epispastici vices gerunt.

Acria piperino vel simili elemento pollentia.

PIPERACEAE.

Piper. §. Peperidia Reichb. Heckeria Kth. *Caapeba* v. *Periparoba* Bras.

Piper sidaefolium Lk. et Otto Icon. t. 6. P. umbellatum Vell. I. t. 54. Mart. Reise I. 281 n. 10. *Aguaxima* Piso II. 197.

Piper peltatum L. Plum. Amer. t. 74. Heckeria peltata et scutata Kunth. in Linnaea XIII. (1839) 565. 567.

Frutices sylvestres radice gaudent aromatico-acri, quae systema lymphaticum stimulat, urinam movet, contra infarctus viscerum abdominalium infuso propinatur. Externe ad mundificanda ulcera adhibetur; succus herbae expressus contra ambustiones, clysma e foliorum decoctione contra obstructiones abdominales, teste Pisone.

Piper. §. Enckia, Steffensia et Schilleria Kth. l. c. *Nhandú*, *Nhandí*, *Niambí* Bras.

Piper unguiculatum Rz. Pav. Flor. Peruv. I. t. 57 b. *Nhandi* v. *Pimenta dos Indios* Piso I. 96. *Nhandu* Piso II. 197. Marcg. 75.

Piper nodulosum Link. Enckia glaucescens Kth. l. c. 594.

Radix harum specierum sialagoga, diuretica, iisdem indicationibus ac praecedentium adhibetur praesertim in hydrope pedum, necnon contusa in fomentis contra morsum viperarum et masticata contra odontalgiam commendatur.

Piper eucalyptifolium Rudge Pl. Guyan. t. 6. *Betys* v. *Betre* Piso I. 88. II. 196.?

Decoctum radicis et foliorum colicam sedat, dolores membrorum mitigat, flatus aufert, tumores pedum e frigore natos amolitur: Piso.

Piper aduncum L. Vell. I. t. 60.

Amenta hujus speciei et nonnullarum aliarum eodem modo ac Piper longum sapore acri vellicante insignia sunt. Tamquam incidens, attenuans, resolvens, odontalgicum, digestionem promovens, gonorrhoeam sedans in usum vocantur.

Piper nigrum L. P. aromaticum Lam. *Pimenteira* Lusit.

Frutex ex Indiae archipelago introductus, passim (Soteropoli, Parae rel.) colitur. Fructus (*Pimenta negra*) iisdem indicationibus atque in Europa praescribitur.

Piper Parthenium Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 56.

In provincia Megapotamica hujus fruticis radix nomine *Pariparoba* in amenorrhoea, leucorrhoea, nimio lochiarum flùxu usitatur.

Ottonia Spreng. Serronia Guillemin. *Jaborandí* Bras.

Ottonia Anisum Spreng. S. V. I. 500. O. Jaborandi Kunth. in Linnaea XIII. 579. Serronia Jaborandi Guill. in Icon. Deless. III. t. 90. Piper Jaborandi Vell. I. t. 55.

Radix sialagoga, diuretica, incidens uti antecedentium usitata: infuso vel decocto propinatur.

CHLORANTHEAE.

Hedyosmum Bonplandianum Kunth. Nov. Gen. VII. t. 634. 635.

Fruticis in prov. Minarum inventi folia et amenta, odore eximio ambrosiaco donata, infuso hausta virtutes analepticas prae se ferunt, in febribus malignis, hemicrania, membrorum dolore a frigore.

RUTACEAE.

Monnieria trifolia L. Nees et Mart. in N. Act. Acad. N. C. XI. 1. 164. *Alfavaca da Cobra* Bras. *Jaborandí* Piso II. 312. Marcg. 36.

Planta in provinciis Aequatori vicinis subdomestica radicem habet aromaticam, Pyrethri instar fauces vellicantem, quae diaphoreticam, diureticam, sialagogam, expectorantem, antidotalem virtutem exercet. Mart. Reise II. 552 n. 39.

ANONACEAE.

Xylopia. *Pindaíba*, *Embira*, *Imbira* Bras.

Xylopia frutescens Aubl. Mart. in Endl. et M. Flor. Bras. Anonac. 41 t. 13 f. 3. *Ibira* Piso II. 145. Marcg. 99.

Xylopia brasiliensis Spr. Mart. l. c. 42. X. muricata Vell. IX. t. 127. Piso I. 71. II. 144.

Arbores per magnam Brasiliae plagam provenientes, quarum fructus acri-aromatici loco Piperis aethiopici adhibentur.

Xylopia sericea S. Hil. Mart. l. c. 44 n. 7. Pl. med. ined. t. 58. 59. II.

Xylopia grandiflora S. Hil. Mart. l. c. n. 8 t. 57. 59. I.

Utriusque arboris fructus ab incolis *Pimenta do Sertaô, do mato, da terra* dictus iisdem indicationibus inservit, quibus verum Piper aethiopicum vel Grana Selim, nunc inter nos obsoleta.

AETHEREO-OLEOSA.

AETHEREO-OLEOSA PLEBEIA, IN PARTIBUS FOLIACEIS CONTENTA, CUM ALIIS ELEMENTIS HAUD ITA DIFFERENTIBUS.

CHENOPODEAE.

Chenopodium ambrosioides L. *Erva de S. Maria* Bras.

Herba odorata, saporis aromatici subacris amaricantis, praeter oleum sui generis aethereum, continet camphoram, resinam, mucilaginem et kali nitricum et alios sales. Pro carminativo, diaphoretico, emmenagogo saepe infuso hauritur, in tussi ferina, repletione pulmonum pituitosa, amenorrhoea et ad ejiciendum foetum mortuum a medicis brasiliensibus commendata. Vell. III. t. 104.

LABIATAE.

Leonotis nepetaefolia Benth. Labiatae 618. *Cordão do frade* Br. Stachys mediterranea Vell. VI. t. 2. Mart. Reise I. 282 n. 17.

Herba in balneis contra affectiones rheumaticas et in dysuria conducere dicitur.

Leucas martinicensis R. Br. Benth. l. c. 617 n. 41. Stachys fluminensis Vell. VI. t. 1. *Catinga da Mulata* Bras,

A nonnullis uti Stachys recta L. nostras contra spasmos hystericos commendatur, balneis contra dolores articulorum.

Glechon spathulatus Benth. l. c. 406. *Mangerona do campo* (Rio Grande do Sul).

Herbae infusum in morbis catarrhalibus tamquam eximium diaphoreticum hauritur. Mart. Pl. med. edend. t. 98.

Cunila microcephala Benth. l. c. 364. *Poéjo* (Rio Grande do Sul).

Herbae usus idem ac Marrubii nostratis praesertim in tussi chronica, faucium et pulmonum statu languido. Pituitam coquere dicitur.

Peltodon radicans Benth. l. c. 63 n. 3. *Ortelã do mato* Bras.

Planta balsamica, ptarmica, cephalica, carminativa, diuretica in opere Vellosiano VI. t. 7 nomine Clinopodii repentis depingitur.

Hyptis. Numerosae species nominibus diversis: *Ortelã*, *Menthastro*, *Marroio*, *Betonica*, *Segurelha*, *Melissa*, *Erva Cidreira* vulgo notantur.

Hyptis pectinata Poit. Benth. Labiatae 127 n. 165.

Clinopodium imbricatum Vell. VI. t. 5.

Hyptis fruticosa Salzm. Benth. l. c. 123 n. 154. (Rio, Minas, Bahia.)

Hyptis spicata Poit. Benth. l. c. 120 n. 146. (Pará, Minas.)

Hyptis suaveolens Poit. Benth. l. c. 124 n. 157. (Ubique.) An Melissa Piso II. 242.

Hyptis fasciculata Benth. l. c. 130 n. 174. (Rio, Minas, S. Paulo, Bahia.)

Clinopodium verticillatum Vell. VI. t. 4.? Marrubium Piso II. 217. Marcg. 16.

Hyptis graveolens Salzm. Benth. l. c. 125 n. 158. Ubique.

Hyptis umbrosa Salzm. Benth. l. c. 125 n. 159. Ubique.

Hyptis canescens Benth. l. c. 120 n. 144 (introducta?).

Hae omnes et aliae species pro diaphoretico variis in affectionibus, praesertim catarrhalibus, et pro carminativo infuso propinantur, uti inter nos Menthae, Melissae rel. Externe applicata herba vulnera et ulcera roborat et mundificat.

Aeolanthus suavis Mart. Amoen. Monac. 4 t. 2.

Benth. l. c. 61. Infusum plantulae egregio aromate pollentis a colonis sinensibus in oppidulo S. Crucis contra stranguriam spasmodicam laudatum audivi.

Marsypianthes hyptoides Mart. Benth. l. c. 64. *Ortelâ* Bras.

Hyptis Pseudochamaedrys Poit. Ann. Mus. VII. t. 31 f. 1.

In balneis contra dolores artuum rheumaticos conducit, inter Thymum Serpyllum et Teucrium Scordium efficientia quasi ambiguum.

Ocimum. *Segurelha* Bras.

Ocimum incanescens Mart. Reise II. 790 n. 9. *Remedio do Vaqueiro.*

Diureticum et diaphoreticum in refrigerio (Constipaçao) Bahia.

Ocimum gratissimum L. Benth. l. c. 7 n. 7.

Folia odore Caryophyllorum carminativa, cephalica et uterina sunt. (Seminum mucilaginosonum decoctum in gonorrhoea laudatur.)

Ocimum micranthum Willd. Benth. 12 n. 23. O. americanum Vell. VI. t. 10.

VERBENACEAE.

Lantana. *Camará* Tupin. Bras.

Lantana Camara L. Spreng. S. Veg. II. 762 n. 17. uti sequens *Camara-juba* (i. e. aureo flore) Piso I. 87. II. 177. Marcg. 6. Lib. Princ. 341.

Lantana aculeata L. Spreng. l. c. 761 n. 1. Vell. VI. t. 57.

Lantana involucrata L. Spr. l. c. 762 n. 14. *Camara-tinga* i. e. alba. Lib. Princ. 539.

Lantana brasiliensis Link. Enum. Hort.. Berol. II. 126.

Lantana Sellowiana Link. et Otto Ic. t. 50 (Rio Grande do Sul).

Lantana Pseudothea S. Hil. Pl. us. t. 70. *Chá de frade, Chá de Pedrestre* (Minas).

Lantana microphylla Mart. Reise II. 792. *Alecrum do campo.* (Bahia.)

Frutices foliis aromaticis gaudent et floribus aromatico-mucilaginosis. Infusum foliorum et florum in affectionibus catarrhalibus frequenter adhibetur. Balnea cum foliis confecta in doloribus rheumaticis jam a Pisone jure celebrata.

Lippia citrata Schlecht. *Salva* (Rio Grande do Sul).
Cham. Schlecht. Linnaea. VII. (1832) 214. Mart. Pl. med. t. 84.
Salviae et Thymo efficientia par est.

CAPRIFOLIACEAE.

Sambucus australis Cham. Schlecht. DC. Prodr. IV. 323 n. 11. *Sabugueiro* Lus. (S. Catharina, S. Paulo, Rio Grande.)

Flores cum Sambuci nigrae nostratis virtute diaphoretica conveniunt.

COMPOSITAE.

Pluchea Quitoc DC. *Quitóco* Tupin. *Caculucage* (Minas).
DC. Prodr. V. 450 n. 2. Mart. Herb. Flor. Bras. n. 659. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 91.

Herba suaviter odora resolutiva, carminativa, antihysterica, infuso propinatur et balneis inservit.

Conoclininium prasiifolium DC. *Maria preta* (Bahia).
DC. Prodr. V. 134 n. 4. Deless. Ic. IV. t. 15. Mart. Herb. Fl. Bras. n. 669.

Planta aromatica Mart. Reise II. 792 ad fomenta excitantia et emollentia adhibetur. An *Camara-Japo* Piso II. 218.

Tagetes glandulifera Schrank. *Cravo do Defunto* (Rio, S. Paulo).
Schrank. Pl. rar. H. Monac. II. t. 64. DC. Prodr. V. 644 n. 12. Tagetes porophyllum Vell. VIII. t. 116.

Folia amaro-aromatica stimulantia, diuretica, diaphoretica, in magnis cryptis continet oleum anthelminticum. Cfr. Brandes Arch. III. 421. Buchner Repertor. XVIII. 453.

Compositae plures iisdem virtutibus pollentes, pariter atque *Nhambi* Piso II. 228 heic omittuntur.

LEGUMINOSAE.

Acacia Farnesiana Willd. DC. Prodr. II. 461 n. 138.

In hortis urbium maritimarum introducta colitur. Flores fragrantissimi infuso et aqua destillata contra cardialgiam adhibentur; illosque inter linteamenta inspergendo lotrices bonum odorem conciliare et vermiculos arcere solent.

AURANTIACEAE.

Citrum Aurantiacum L. *Larangeira.* Supra 29.

E floribus fragrantibus Aqua florum Naphae destillatur. Folia a mulierculis hystericis loco Theae sinensis hauriuntur.

Aethereo-oleosa secundi ordinis, admixtis particulis resinosis aliisque.

MARANTACEAE.

Canna. *Cuité* v. *Coïté.* Bras.

Canna aurantiaca Rosc. Monandr. 10 t. 74. *Meeru* Piso I. 116. II. 212. Marcg. 4.

Canna edulis Ker. Bot. Reg. 775. Bot. Mag. 2498.

Canna indica Vell. I. t. 1.? Lib. Princ. 173.?

Canna stolonifera Bouché in Linnaea VIII. 159.

Canna angustifolia Vell. I. t. 2.?

Canna glauca L. Rosc. l. c. 14 t. 105. Red. Lil. VI. t. 354.

Albara s. *Erva dos Feridos* Piso I. 117. II. 213. Marcg. 5. *Imbiri* Mart. Reise II. 553 n. 51.

Omnium harum specierum radices tuberosae intra parenchyma amylaceum continent partes aethereo-oleosas et resinosas et quoad pharmacodynamin quodammodo cum Rad. Iridis comparari possunt. Diuresin et diaphoresin augent. Herba recens contusa in balneis contra dolores rheumaticos et artuum torporem conducit, ulceribus imposita ea mundificat. Siccatae radicis pulvis dentifricios pulveres ingreditur. Succus herbae expressus contra mercurialismum, nescio quo jure, commendatur; succus fructus semimaturi contra aurium dolores.

AMOMEAE.

Alpinia. *Paco-Serora* v. *Cuité-açu* Bras.

Alpinia aromatica Jacq. Fragm. t. 74. 75.

Alpinia recemosa Vell. I. t. 3.

Alpinia Paco-Seroca Jacq. l. c. 76. *Paco-Seroca* Marcg. 21. Lib. Princ. 177. (Cfr. Alpinia humilis Vell. I. t. 4.)

Radix aromate suavissimo pollet et virtute carminativa, stomachica, attenuante, resolvente, alexipharmaca cum Acoro vero officinarum nostratium certat. Pulvere dosi 10 — 20 granorum sumitur. Externe ulceribus malignis medetur. Semina Cardamomo indico respondent.

Alpinia nutans Rosc. Zerumbet speciosum Jacq. Fragm. t. 68.

Plantam ex India orientali introductam, nomine *Pacová* cultam vidi. Radix uti praecedentium adhibetur.

Zingiber officinale Roxb. Amomum Zingiber L. *Gimgibre* Lusit.

Planta Indiae orientalis passim ob pretiosam radicem culta jam a Pisone II. 227 et Marcg. 19 nomine *Mangaratiá* v. *Zingiber* commemoratur.

Curcuma longa L. *Açafrâo da India* Lusit.

Cum priore Sebastianopoli, Soteropoli et aliis locis cultam vidi; attamen ejus radices in Brasilia quam India orientali esse debiliores incolae perhibent.

URTICACEAE.

Dorstenia. *Caa-apiá* Tupin. *Caapiá*, *Cayapiá*, *Carapiá* Bras. *Contrayerva* Lusit.

Dorstenia brasiliensis Lam. Spreng. S. V. VIII. 777 n. 3. Mart. Reise I. 280 n. 5. *Caa-apiá* Piso I. 90. II. 232. 311. Marcg. 52. Lib. Princ. 511. (S. Paulo, Minas, Bahia, Pernambucano.)

Dorstenia bryoniaefolia Mart. Herb. Fl. Bras. n. 212. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 28. (Cujabá.)

Dorstenia opifera Mart. Reise II. 787 n. 1. D. Cayapia Vell. I. t. 137.? (Prov. orient.)

Dorstenia arifolia Lam. Spreng. l. c. n. 7. (Rio.)

Radices harum specierum tuberosae cum multo amylo continent extractivum amarum et oleum aethereum. Alexipharmacae sunt, diureticae, diaphoreticae, roborantes. A colonis praesertim contra dysenteriam malignam magni habentur. Radicis recentis dosis scrupulus; siccatae duo. Pulvis cum flavedine Cortic. Aurantiorum propinatur, aut infusum frigide paratum. — D. rotundifolia et D. pernambucana Arruda Discurso 45. quid?

ARISTOLOCHIEAE.

Aristolochia. *Sipó de Jarrinha* v. *de Mil-Homens* Lusit.

Aristolochia cymbifera Mart. Zucc. Nov. Gen. I. 76 t. 49. B. grandiflora Gom. in Act. Uliss. III. (1812). Mem. Corr. 64. — A. orbiculata Vell. IX. t. 96. — *Papo de Perú* Arruda Disc. 47.

Aristolochia macroura Gom. l. c. 77. A. appendiculata Vell. IX. t. 98.

Aristolochia galeata Mart. Zucc. l. c. 76 t. 50.

Aristolochia brasiliensis Mart. Zucc. l. c. 77. A. ringens Link. et Otto Icon. t. 13.

Aristolochia labiosa Bot. Reg. t. 689. *Ambuia-embó* Piso II. 260. Marcg. 15. Lib. Princ. 455.

Aristolochia rumicifolia Mart. Zucc. l. c. 79 t. 54. A. oblonga Vell. IX. t. 99.

Aristolochia theriaca Mart. A. odoratissima Vell. t. 97. (non L.)

Aristolochia antihysterica Mart. Pl. med. t. 88. (Rio Grande do Sul.)

Radix et caulis interdum longe sarmentosus harum stirpium, odore gravissimo alliaceo-camphorato, sapore amaro nauseoso, inter praeclara alexipharmaca habetur. A. cymbiferae radicem primus Thomas Rodrig. Sobral chemica arte dissolvit (Jornal de Coimbra n. 36 I. 196) et ibidem invenit: principium volatile aromaticum sui

generis, in alcohol solubile, extractivam materiam stryphno conjunctam, principium oleoso-resinosum, amarum gentianino analogum, mucilaginis parvam quantitatem, calcaream, kali, ferrum. Vires antisepticae, diureticae, uterinae, diaphoreticae in multis iisque gravissimis morbis comprobatae, e. g. in ictu serpentium, in febribus nervosis cum torpore, in febribus putridis, in ulceribus malignis pedum. Dosis pulveris grana 10—20 pluries per diem, infusi uncia dimidia. — Plures harum Aristolochiarum absque dubio Serpentariae virginianae palmam praeripiunt, effectu multo efficaciores, atque Valerianae nostratis defectum compensant; quodsi tamen medicus Brasiliensis hujus absentiam herbae in febribus nervosis versatilibus aegrius ferat, periculum faciat, anne radix Valerianae scandentis L. (Vell. I. t. 67) aut V. alpinae (Vell. I. t. 68), polystachyae Sm. vel chamaedryfoliae Cham. et Schlcht. analoga polleat virtute. Mihi quidem de his nil innotuit.

Aethereo-oleosa generosa s. Aromata.

ORCHIDEAE.

Vanilla. *Baonilha* Lusit. *Vaynilla* Hisp.

Vanilla aromatica Sw. Lindley Genera and Spec. of Orchidac. Pl. 434 n. 1. Plum. Icon. 183 t. 188.

Planta, quae veras Siliquas Vanillae s. Aracos aromaticos suppeditat, in sylvis provinciarum orientalium sponte crescit et meretur, quae cultura multiplicetur et excolatur.

Vanilla palmarum Salzm. Lindl. l. c. 436 n. 7.

Epidendron Vanilla Vell. IX. t. 1.

Praecedente frequentior in prov. Bahiensi, attamen ejus capsulae breviores, crassiores, spissaque carne turgentes fragrantia multo inferiores sunt. Ceterum vix est, quod moneam, pretiosam hanc naturae dotem a medicis Brasiliensibus iisdem indicationibus atque inter nos, tamquam egregiae efficientiae in systema nervosum, in febribus asthenicis, in systematis uterini torpore, melancholia rel. adhiberi.

LEGUMINOSAE.

Dipterix odorata W. DC. Prodr. II. 477. *Cumarú* Bras. (Rio Negro.)

Coumarouna odorata Aubl. Guj. II. 740 t. 296.

Arbor in interioribus prov. Paraënsis et Rio Negro crescens largitur semina suavissimi odoris, quae nomine Seminum s. Fabarum Tonca celebrata, ob peculiarem Camphorae speciem, *Coumarinium*, inter nos adhibentur ut pulveri Nicotianae aroma impertiant. In medicinam recepta tamquam nervinum, analepticum, cardiacum, diaphoreticum, emmenagogum agere valent.

Dipterix oppositifolia W. DC. Prodr. II. 478. *Coumarourana* Bras.

Taralea oppositifolia Aubl. Guj. II. 745 t. 298.

Arbor iisdem regionibus proveniens cum praecedente semina offert non inertia sed minoris efficaciae, quam illa, ideo *C. rana* i. e. fera appellatur.

Dipterix pteropus Mart. Herb. Fl. Bras. n. 206. *Cumbarú*, *Cumarú*, *Barú* Bras.

Dipterix pterota Mart. (menda typogr.) apud Benth. in Ann. Mus. Vindob. II. 110. D. alata Vogel in Linnaea XI. 383.

Arbor in Brasilia centrali obvia seminibus donata similiter odoratis.

MYRISTICEAE.

Myristica officinalis L. *Muscadeira* Lusit.

M. moschata Thunb. M. aromatica Lam. Illutr. t. 882.

Arbor moluccana, cui Nuces moschatas et Macis Off. debemus, Octobri 1809 e horto Cayennensi Gabrielle dicto in hortum publicum Paraënsem introducta ibidem bene prosperat.

LAURINEAE.

Nectandra Puchury major Nees Syst. Laur. 328. *Puchury* Bras.

Nectandra Puchury minor Nees ibid. 336. *Puchury-miri* Bras.

Arbores in mediterraneis prov. Rio Negro crescentes, et in Mart. Pl. med. t. 35. 36 depingendae, suppeditant Fabas Pichurim, majores et minores. Cfr. Mart. in Buchn. Repert. Pharm. XXXV. (1839) 169. Scatent hae fabae s. potius semina vel cotyledones oleo pingui cui aliud subest aethereum, cujus historiam chemicam cl. Bonastre (Journal de Pharm. 1825. 1) enucleavit. Usus inter incolas in apepsia, diarrhoea atonica, leucorrhoea et dysenteria tam interne assumto per os pulvere, quam externe in fomento et cataplasmate.

Cryptocarya moschata Mart. *Noz moscada do Brazil* Bras.
Nees Syst. Laurin. 213. Mart. Pl. med. et oec. Br. ined. t. 105.

Fructus odore et sapore aromatico insignes, cardiaci, carminativi, in Brasilia orientali (Minas, Porto Seguro, Bahia) iisdem indicationibus praescribuntur, quibus Fabae Pichurim. Mart. Reise II. 553 n. 1.

Oreodaphne opifera Nees et Mart. *Canella de cheiro* (Rio Negro).
Nees Syst. Laurin. 390. Mart. Pl. med. et oec. Br. ined. t. 37.

In oppido Barra do Rio Negro e fructibus hujus arboris destillatis oleum aethereum paratur limpidum, coloris vinoso-lutei, odoris veluti si Oleum Citri vetustum cum Ol. Rorismarini misceas, saporis aromatico-acris. In membrorum contracturis, artuum doloribus aliisque morbis rheumaticis et arthriticis hoc oleo utuntur, vel cum oleo pingui in ungentum redacto, vel ejusdem puri infrictione adhibita. Mart. in Buchner Repert. Pharm. XXXV. (1830) 179.

Aydendron Cujumari Nees Syst. Laurin. 247. *Cujumary* (Rio Negro).
An arbor *Cuchery* De la Condamine Relat. 143.? Mart. Pl. med. et oec. t. 34.

Semina saporis sunt aromatici, majori autem olei pinguis parte, ac Fabae, quae Pechury dicuntur, praegnantia. Contra vitia digestiones, ut Fabae illae, in pulverem redacta et aqua vinove mixta propinantur. Majorem autem in debilitate ventriculi efficaciam tribuunt pulveri ex partibus aequis harum baccarum et ligni semideusti arboris cujusdam ignotae *Pira-cuúba* i. e. lignum piscium dictae. Mart. in Buchner Repert. l. c. 178.

Nectandra cymbarum Nees. *Páo Sassafras* (Rio Negro).
Nees Syst. Laurin. 305. Ocotea cymbarum Humb. O. amara Mart. in Buchn. Repert. Pharm. XXXV. (1830) 180.

Cortex arboris magnae sylvestris amaro-aromaticus contra debilitatem ventriculi et alios morbos indicatione tonicorum carminativorum adhibetur.

Mespilodaphne pretiosa Nees et Mart. *Pereiorá* Tupin. *Páo* v. *Casca pretiosa* (Rio Negro).
Nees Syst. Laurin. 237. Mart. Pl. med. et oec. Br. ined. t. 33.

Cortex arboris vastae sylvestris, qui nomine *Canelilla* inter Orenocenses celebratur, sapore aromatico urente et dulciusculo Cinnamomo vero respondet; odoris est quasi e Sassafras, Cinnamomi et Rosae mixti. Continet praesertim in libro interiore oleum aethereum flavidum, quam aqua gravius, cum oleo Cinnamomi comparandum. Efficientia medica praesertim cum Sassafras cortice convenit et multis in morbis: debilitate systematis nervosi a nimio usu venereo, in vi memoriae imminuta, oedemate pedum ex refrigerio, catarrho chronico, hydrope, arthritide, syphilitide, fluore albo, ejus usus solemnis est in decoctis, infusis et balneis. Mart. in Buchn. Repert. Pharm. XXXI. (1829) 356.

Dicypellium caryophyllatum Nees. *Páo Cravo* Bras. *Imyra-Quiynha* v. *Kiynja* i. e. lignum Capsici Tupin. (Pará, Rio Negro.)
Nees Syst. Laurin. 344. Mart. Pl. med. et oec. Br. ined. t. 38. — Licaria Gujanensis Aubl. Guj. I. 313 t. 121. *Bois de Rose* (Cayenne), *Licari-Kanali* Caribaeis. Laurus Canella Vell. IV. t. 56.

Arbor omnium Laurinearum, quas Brasilias alit obilissima, non solum in provinciis imperii aequatorialibus proveniens, sed quoque sylvarum montanarum in Serra do Mar decus, suppeditat corticem valde aromaticum, qui in tubuli modum convolutus, odore et sapore caryophyllaceo quam maxime insignis, nomine Cassiae caryophyllatae commercio in Europa exportatur. Cortex hinc Cinnamomo inde Caryophyllis affinis.

Cinnamomum zeylanicum var. γ. Cassia Nees. *Canelleira* Lus.
Nees Syst. Laurin. 47. Laurus Cassia L. — L. Cinnamomum Vell.

IV. t. 47. Confr. Memoria sobre a Canella do Rio de Janeiro. Rio 1809.

Varietas arboris indicae in variis Brasiliae hortis culta cum L. Cassia L. convenit tam charactere botanico, quam corticis indole, qui crassior, lignosior, quam optimus zeylanicus, hoc partibus mucilaginosis ditior est, aromate tenuior.

Persea gratissima Gaertn. *Avagate, Abacati* Bras. Supra 26. Nees Syst. Laurin. 128. Laurus Persea L.

Nectandra mollis Nees. *Canella preta* (Rio, Minas). Nees Syst. Laurin. 287. Mart. Herb. Fl. Br. n. 169. Laurus atra Vell. IV. t. 51.

Folia harum Laurinearum et multarum aliarum oleo aromatico pollentia in variis morbis scopo diuretico, carminativo, emmenagogo adhibentur.

Camphora officinarum Bauh. *Alcanforeira* Lusit. Nees Syst. Laurin. 88. Laurus Camphora L.

Arbor chinensis, quae veram Camphoram Off. suppeditat, in horto botanico Sebastianopolitano colitur et in montosis frigidioribus illius provinciae bene prosperare est vero simile. Ideo hoc loco eam commemorare quam omittere, malui.

MYRTACEAE.

Calyptranthes aromatica S. Hil. Pl. us. t. 14. DC. Prodr. III. 258 n. 15. *Craveiro da terra* (Rio).

Florum alabastra aromatica, teste cl. S. Hilario, licet tenuioris efficaciae, quam veri Caryophylli, his tamen substitui merentur.

Eugenia Pseudocaryophyllus DC. l. c. 282 n. 166. *Craveiro da terra* (Rio, Minas).

Myrtus Pseudocaryophyllus B. A. Gom. in Act. Uliss. III. (1812) 92 t. 6. S. Hil. Fl. Br. mer. II. 355 t. 149. Myrtus caryophyllata Vell. V. t. 70.

Arbor in sylvis montanis prov. Sebastianopolitanae, Minarum et S. Pauli proveniens, passim prope Sebastianopolin culta, largitur

baccas, quae immaturae lectae tam odore quam sapore cum baccis Amomi Indiae occidentalis certant eidemque scopo medico inserviunt.

Caryophyllus aromaticus L. DC. Prodr. III. 262. *Girofleiro* Lus.

Arbor Indiae aquosae, e Cayenna in hortum publicum Paraënsem illata ibi prosperat. Flores ante anthesin decerpti et exsiccati, s. Anthophylli s. Caryophylli aromatici, quos ibidem examinavi, sapore fervidissimo et suavissimo odore illam regionem culturae aptissimam esse comprobaverunt. Usus illorum ibidem est ad ciborum condimentum, ad sicerae gratum odorem conciliandum rel.

RESINOSA ET BALSAMICA.

STYRACEAE.

Styrax. *Estoraque*, *Beijoeiro* Lusit.

Styrax reticulatum Mart. Reise II. 550 n. 33. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 87.

Styrax ferrugineum Pohl. Ic. Pl. Bras. II. 55 t. 135.

Pamphilia aurea Mart. Pl. med. et oec. Bras. t. 86.

Arbores in prov. Minarum et Bahiensi crescentes in libro turgent resina balsamica cum vero Storace Off. fragrantia et pharmacodynamia conveniente. Insecta varia ex Ichneumonidum et Curculionidum ordine corticem ictu aperiunt, quo fit, ut minutae balsami guttulae propullulent, quibus ducti incolae corticem detrahunt et majorem egregii medicaminis copiam colligunt. Usus in ecclesiis pro thure et in variis emplastris roborantibus et excitantibus.

HUMIRIACEAE.

Humirium. *Umirí* Tupin. et Caraib. *Touri* Caraib.

Humirium floribundum Mart. Nov. Gen. II. 145 t. 199.

Humirium balsamiferum Aubl. Guj. II. 565 t. 225.

Arbores aequatoralium provinciarum e cortice et ligno stillant balsamum flavum, limpidum, egregii odoris styracini, vi medica inter Balsamum Copaivae et peruvianum quasi intermedium et posterioris indicatione adhibitum.

LEGUMINOSAE.

Hymenaea. *Jetahy, Jatahy, Jetai, Jatai-üva, Jatobá* Bras. *Jetaiba* Piso I. 60. II. 123. Marcg. 101. *Abati-timbaby* Dobrizh. Abip. I. 399.

Hymenaea Courbaril L. Hayne Arzneigew. XI. t. 10. (Minas, Bahia, Pernambuco.)

Hymenaea stilbocarpa Hayne l. c. t. 11. Mart. Reise I. 254. 299. (ibid.)

Hymenaea Martiana Hayne l. c. t. 15. (ibid.)

Hymenaea Olfersiana Hayne l. c. t. 14. (ibid.)

Hymenaea stigonocarpa Mart. Hayne l. c. t. 13. (Bahia, Piauhy.)

Hymenaea Sellowiana Hayne l. c. t. 16. (Bahia, Piauhy.)

Trachylobium Martianum Hayne l. c. t. 17. (Rio Negro.)

Ex his omnibus arboribus et nonnullis congeneribus stillat balsamum limpidum, mox congelascens, in terra saepe moles magnas difformes formans, quae cortice cinerascente lutulento aspero opaco indutae, intus resinam vinoso-flavescentem spissam exhibent. Haec est resina *Copal* Brasiliensis, quam Angli *Anime* dicere solent, unde error irrepsit in libros, qui Gummi resinam Anime Off. germanicarum, ex arbore Terebinthacea stillantem, Hymenaeis tribuit. Resina Copal Brasiliensis in artibus potius, praesertim ad vernices s. laccas expedita, quam in medicina, attamen in debilitate pulmonum, phthisi pituitosa ingruente a medicis Brasiliensibus suffimentis commendatur et cum aqua, alcohole et saccharo trita emulsionem praebet in tussi chronica a Minarum incolis decantatam.

Copaifera. *Copa-iba* v. *Copa-üva* Tupin. Bras. *Cupay* Guaran.

Copaifera gujanensis DC. Prodr. II. 357. Hayne Arzneigew. X. t. 13. (Rio Negro, Pará.)

Copaifera nitida Mart. Hayne l. c. 17. (Minas, Cujaba.)

Copaifera Martii Hayne l. c. t. 15. (Pará, Maranhâo.)

Copaifera Langsdorffii Desf. Hayne l. c. t. 19. (S. Paulo, Minas.)

Copaifera coriacea Mart. Hayne l. c. t. 20. (S. Paulo, Minas.)

Copaifera Beyrichii H. l. c. t. 12. C. officin. Vell. IV. t. 88. (Rio.)

Ex his, quas attulimus, Copaiferae speciebus, Balsamum Copaivae Off. elici, compertum habemus. Alias plures, ut C. cordifoliam et longifoliam Mart., C. Sellowii, laxam Hayne (l. c. 21. 23. 22. 18) et C. trapezifoliam Hayne, Brasilia alit, de quarum dignitate, experimenta ut instituant, medicos Brasilienses rogatos esse velim. Ceterum moneo, Copaivae Balsamum colore, odore, gravitate specifica, virtute medica plus minus variare, quatenus e diversarum specierum truncis emanet. Aliud (e C. Langsdorffii et coriacea) coloris est saturate aurantiaci, odoris penetrantis, saporis acerrimi, aliud colore vini rhenani mitius, aliud pallidius. Quod ad species attinet quas Piso et Marcgravius coram habuerint, judicium difficile. Icon a Pisone II. 118 tradita (I. 56 icon non habetur, et Marcg. 130 solummodo figura fructus) forsan ad C. Martii vel C. Beyrichii referenda; attamen in Libro Principis 353 superior icon aliam speciem, verosimiliter C. Langsdorffii repraesentat. — Usus in Brasilia varius, praesertim in Gonorrhoea, dosi scrupuli dimidii. — Cfr. Dobrizhof. Abipon. 393.

Myrospermum? *Cabure-iba*, *Capureúva*, *Capreúva*, *Capureigba* Tupin. *Páo d'Oleo*, *Jacarandá Cabiuna*, *Balsamo* Bras.

Arbor sylvestris, quae Balsamum peruviano simile *Cabuericica* suppeditat a Pisone I. 57. II. 119 descripta nondum probe est cognita. Balsamum summae fragrantiae atque illi, quod peruvianum dicimus, colore simile ab Indis colligitur et in parvis pyxidibus, quae sunt fructus immaturi Eschweilerae cujusdam, Soteropoli raro in foro venit. Ulteriora exquirenda. — Neque de celebri Balsamo *Tamacoaré* Paraënsium certi quid afferre valeo. — Huc forsan pertinet *Anguay* v. *Ybira-payé* i. e. arbor praestigiatorum Guaranice. Resina, quae ex hac arbore stillat, odoris est fragrantissimi, ac saluberrimae virtutis. Balsamum Peruvianum et Brasiliense, ubique gentium celebre, ex hac resina, admixto oleo *Cupay* arboris aliis-

que conflatur Thuris loco, quod suavitate plurimum superat et in templis adhibetur: Dobrizhof. Abipon. I. 418.

HYPERICINEAE.

Hypericum connatum Lam. DC. Prodr. I. 548. S. Hil. Pl. us. t. 61. *Orelha de Gato.* (S. Paulo, Rio Grande do Sul.)

Herba in foliorum cryptis partes oleosas et resinosas continet, uti Hypericum perforatum nostras. Pro adstringente, roborante, vulnerario, praesertim in faucium levi exulceratione habetur, decocto ad gargarismata.

Hypericum laxiusculum S. Hil. l. c. t. 62. *Alecrim bravo.* (Rio Grande do Sul.)

Similiter ac praecedens scopo vulnerario, praesertim contra serpentium ictus commendatum, vix dignum quod inter tot egregia alexipharmaca, quibus Brasilia abundat, enumeretur.

CLUSIACEAE.

Calophyllum brasiliense Camb. *Lantim, Landy, Jacare-üva* Br. Camb. in S. Hil. Fl. Bras. mer. I. 320 t. 57 (pl. ♀). Mart. Pl. med. et oec. Bras. ined. t. 95 (♀ et ♂).

E libro arboris sylvestris per magnam Brasiliae plagam tropicam crescentis stillat balsamum flavicans odore aromatico citrato, sapore amaro acridulo, quo agasones in equorum et mulorum morbis saepissime utuntur. Emplastrum coctione parant roborans, calefaciens, resolvens contra tendinum laxitatem et ulcera immunda.

Mammea americana L. *Abricot* Bras. supra 33.

Cortex interior turget balsamo gummoso, quod cum aqua calcis contritum contra vulnera ab ictu insectorum, praesertim Culicis penetrantis, et contra ulcera male morata in usu est.

Clusia insignis Mart. Nov. Gen. III. 164 t. 288.

Arboris in regione aequatorialis parasiticae flos amplus, speciosus e thalamo et staminum congerie exsudat resinam flavo-rubentem, quae exsiccata obscure fusca, nitida, rigida, trita ochracei

coloris. Adusta odorem resinae Laccae edit, in carbonem redacta alium spargit aromaticum, fere florum Benzoës similem, aqua nec frigida nec calida solvitur, magna ex parte in alcohol, maxima in aethere. Constat 6,0 subresinae in aethere et alcohol calido solubilis, 3,00 resinae tritu flavae, 1,0 substantiae albuminosae. Ex hac resina butyro Cacao subacta mulieres Indianae lactentes sibi praeparant unguentum contra mammas pectoris detritas et rimulosas.

Moronobea coccinea Aubl. *Oanani.* (Pará, Rio Negro.)
Aubl. Guj. II. 788 t. 313. Mart. Nov. Gen. III. 163 t. 287.
Aneuriscus brasiliensis Presl. Symb. I. 71 t. 48.

Ex hac arbore aut submisso igne aut coctione praeparatur gummiresina nigricans *Oanani, Nani, Mani,* quam cum aliis resinis balsamicis commixtam in emplastrum vulnerarium coërcere solent Indiani.

CONIFERAE.

Araucaria brasiliana Lamb. *Curi-y* Guaranice, *Curi-üva* Tupin. *Pinheiro* Bras.
Lambert Genus Pinus edit. 2 t. 5. 6. 7. Dobrizhof. Abipon. I. 401.

Resina rutilans ex hac arbore stillat gratissimi odoris, iisdem indicationibus inserviens quibus inter nos Terebinthina.

ANACARDIACEAE.

Schinus antarthritica Mart. Pl. med. t. 104. *Aroeira.* (Rio Grande do Sul.)

Ex hujus arboris cortice levi igni admoto balsamum exsudat, quod in emplastrum formatum, admixtis variis aliis corticibus adstringentibus, inter Megapotamenses magni habetur, praesertim contra affectus frigidos, dolores arthriticos cum atonia, tendinum distensionem. — Folia et fructus tam hujus speciei, quam reliquarum, quas supra 52 commemoravimus, particularum balsamicarum, Anethum redolentium, plena, contusa externe in tumoribus pedum, in vulneribus et ulceribus imponuntur, nec non balnea ingrediuntur excitantia, roborantia. Aqua foliorum et fructuum destillata praebet vim diureticam. In umbra arborum hujus generis qui dormiunt artuum tumores interdum contrahere inter vulgus fertur. — (Folia Spondiarum pariter adhiberi paucis moneo.)

Mangifera indica L. *Mangueira* Lusit. supra 33.

Truncus arboris speciosissimae fundit resinam rufescentem, amaram, aromaticam, acridulam, quae Bdellio assimilatur et contra dysenteriam atonicam et syphilitidem propinatur.

Icica. *Almecegeira* Bras. *Ubira-siquá*, *Icicariba* Tup. *Yciy* Guaran.

Icica Icicariba DC. Prodr. II. 77 n. 6. Mart. Pl. med. t. 32.

Elemi occidentale, quod inter resinas balsamicas Brasiliae vi calefaciendi, resolvendi, processum plasticum emendandi reliquis facile palmam praeripit, ex hac arbore fluit.

Icica heptaphylla Aubl. DC. Prodr. II. 77 n. 4.
Aubl. Guj. I. 337 t. 130. Amyris ambrosiaca Willd. Mart. Reise II. 551 n. 34.

Icica gujanensis Aubl. DC. Prodr. II. 77 n. 3.
Aubl. Guj. I. 340 t. 131.

Icica altissima Aubl. DC. Prodr. II. n. 9.
Aubl. Guj. I. 342 t. 132.

Arbores in regione amazonica provenientes balsamum fundunt, quod exsiccatum diversas Elemi et Animes species sistit.

Bursera leptophloeos Mart. *Imburana.* (Bahia, Minas.)
Mart. Reise II. 551 n. 35. Pl. med. et oec. Bras. t. 102.

Balsamum viridi-flavidum, odore cum Terebinthina conveniens, quod haec arbor fundit iisdem indicationibus ac praecedentia inservit.

Astronium concinnum Schott. Mart. Pl. med. t. 101. *Guarabú* Tupin. *Gurabu preto* Bras.

Cortex vulneratus arboris sylvestris provinciarum orientalium lacrimas emittit balsami egregii odoris terebinthinacei, quo medici variis in morbis uti solent uti terebinthina nostrate.

EUPHORBIACEAE.

Crotonis variae species fundunt gummiresinam rutili coloris, quae inter prov. Minarum et Bahiensis incolas nomine *Sangue de Dragão* nota est.

NARCOTICA.

SOLANEAE.

Datura Stramonium L. Vell. II. t. 43. *Estramonio, Figueira do Inferno* Lusit.

Planta, quam ex Asia introductam credunt, in ruderatis per Brasiliam haud infrequens crescens, alia ut taceam, elemento alcaloideo sui generis, *Daturinio*, pollet, cui vires venenosae praecipue debentur. In systema nervosum agit deprimendo, item secundario modo in cor et vasa sanguinis, sanguinem simul decomponendo, in nervos systematis generativi excitando. Usus tamquam anodyni et antispasmodici inter medicos Brasilienses varius, nec non in morbis psychicis in usum vocatur. Decoctum herbae ab prov. Minarum incolis saepissime contra odontalgiam tam nervosam, quam cum inflammatione gingivae conjunctam adhibetur. E seminibus philtra praeparant Aethiopissae.

Hyoscyamus niger et albus L. *Meimendro negro e branco* Lus. (S. Paulo, S. Catharina, Rio Grande do Sul.)

Herbae ex Europa introductae in australibus provinciae passim sponte proveniunt et a curiosis Pharmacopolis coluntur. Earum actionem a principio alcoideo, quod *Hyoscyaminum* vocant, pendere, inter omnes constat. Usus herbae, seminum, extracti et olei cocti iisdem indicationibus, quibus in Europa commendatur.

Solanum §. Maurella Dun. *Erva moura* Lusit. *Carachichú* Bras.

Solanum oleraceum Rich. *Aguara-quiya* i. e. Capsicum caninum, *Erva do Bicho* v. *Pimenta de Gallinha* Piso I. 108. II. 224. Marcg. 55. Lib. Princ. 303 fig. infer. S. nigrum Vell. II. t. 109.

Solanum pterocaulon Dunal. Dill. Hort. Eltham. 367 t. 275 f. 256. *Aguara-quiya-açu* Lib. Princ. 201.

Solanum guineense Lam. Dill. H. Elth. 360 t. 274 f. 254.

Herbae ruderales, quibus alcaloideum sui generis, *Solaninum*, (84 C. 136 H. 2 N. 28 O.) inest, emollientes, anodynae, diureticae,

praesertim in morbo endemico, inflammatione ani (Bicho do Cû) et in retentione urinae spasmodica frequenter cataplasmate usitatae. Suffimentum baccarum sole exsiccatarum contra odontalgiam nervosam et prosopalgiam. Vulneribus tibiarum et rimis papillarum mulierum folia cum optimo successu apponuntur: Piso.

Physalis pubescens L. Nees in Linnaea VI. 467. *Camarú* Piso II. 223. Marcg. 12. Lib. Princ. 329.

Physalis viscosa L. Nees l. c. 457. Dill. H. Eltham. 11 t. 10.

Physalis angulata L. Nees l. c. 475.

Hae species et nonnullae aliae, generatim *Camarú* nomine tupico nuncupatae, herbas largiuntur virtute quadam resolvente anodyna et diuretica insignes. Ab incolis infusum porrigitur in febribus catarrhalibus cum complicatione gastrica. Contra stranguriam spasmodicam fomenta herbae et suffimenta conducere dicuntur.

Nicotiana. *Petúm, Petúme* v. *Pety* Tupin. *Fumo, Tabaco* Lus. Benzoni Hist. III. c. 20. Lery edit. 1586. 163. Navarrete Collec. de Docum. hist. I. 51. Herrera Hist. Decad. III. 212. VI. 2. VIII. 111. 139.

Nicotiana Tabacum L. Vell. II. t. 71. Piso II. 206.

Planta introducta per magnam imperii partem colitur.

Nicotiana Langsdorffii Weinm. R. Schult. S. V. IV. 323. Nees in Hor. phys. Berol. 52 t. 10. N. ruralis Vell. II. t. 72.

Haec species in mediterraneis spontanea ab Indis ad fumandum usitatur et tam in medicina quam in veneficiis et incantamentis vices gerit. Praecedente virtute medica quidem est posthabenda, attamen subesse ei eadem principia chemica, quibus illa eminet, *Nicotinum* dico, (10 C. 16 H. 2 N.) materiam alcaloideam, et *Nicotianinum* Camphorae speciem, est verosimillimum. Herba Nicotiana in Brasilia praesertim ad enemata in affectionibus soporosis, ictu serpentium, et ad suffimenta contra asthma spasmodicum praescribitur. Mulorum et equorum pediculos infuso foliorum frigido eneccare agasones solent.

Cestrum. *Coerána* Tupin. Bras. Cfr. Linnaea VII. (1832.)

Cestrum euanthes Schlecht l. c. 60. (S. Paulo, Minas.)

Cestrum laevigatum Schlecht. l. c. 58. (Rio, S. Paulo, Bahia.)

Cestrum corymbosum Schlecht. l. c. 57. (Rio, Minas.)

Cestrum Parqui L'Herit. (S. Paulo, Rio Grande do Sul.)

Cestrum bracteatum Link et Otto Icon. 11. t. 6. C. stipulatum Vell. III. t. 5.

Hae stirpes et aliae congeneres vi anodyna emolliente pollent in herba, quae vulneribus et ulceribus imposita ea mundificare atque dolores mitigare compertum habemus. In morbis spasmodicis quoque cataplasmate conducunt, et infusum contra dysuriam propinatur.

LOGANIACEAE.

Strychnos gujanensis. Rouhamon gujanensis Aubl. Guj. I. 93 t. 36.

Strychnos toxifera Schomburgh. Lindl. Flora medica 530.

Frutices, quorum cortex multo *Strychnino* pollens ad venenum sagittarum ab Indis adhibetur, quum elementum acri-narcoticum exhibeat, hoc loco commemorandi. Proveniunt in provinciis fluvio Amazonum conterminis. Strychnos brasiliensis Mart. (Narda spinosa Vell. III. t. 24) et St. trinervis (Gardenia trinervis Vell. III. t. 10) quoad elementa chemica exquirenda sunt, anne Strychnino polleant.

CANNABINEAE.

Cannabis sativa L. *Cannamo* Lusit.

Raro in parte imperii quam maxime versus Austrum sita a colonis nonnullis colitur, nec eam hic commemoramus ob seminum indolem oleosam, sed propterea quod herba pollet materia quadam volatili narcotica. Medicaster cingarus, quem Soteropoli nobilis artis medicae vidimus vices explentem, tam hujus herbae quam Daturae Stramonii multiplices usus nobis laudavit. Neque Aethiopes herbae et extracti ex ea parati vires toxicas et anodynas ignorant, quippe qui, alia ut sileam, suffimenta foliorum optimum esse contra crapulam remedium perhibent.

AMYGDALEAE.

Hoc loco enumerantur ob acidum hydrocyanicum, quod oleo nuptum in cortice et fructibus Drupacearum Brasiliensium non desideratur.

Prunus. §. Cerasus. *Juá-açu* v. *Juá-üva* Tupin.

Prunus brasiliensis Cham. Schlecht. in Linnaea II. (1827) 542. *Cerejeira* v. *Gingeira brava* Bras.

Prunus sphaerocarpa Sw. DC. Prodr. II. 540 n. 37.

Utriusque arboris in prov. S. Pauli, Minarum et Mato Grosso crescentis putamen quodammodo nucleos Cerasorum nostratum, acido hydrocyanico foetos, repraesentat.

Prunus Laurocerasus L. DC. Prodr. II. 540. *Loirocerejeira* Lus.

In horto Sebastianopolitano cultam vidi arbusculam, cujus folia prae aliis Drupaceis magnam acidi hydrocyanici copiam continent.

Amygdalus communis L. DC. Prodr. II. 530. *Amendoeira* Lus.

In provinciarum australium locis frigidioribus passim colitur, sed paucos solummodo eosque fatuos fructus producere dicitur. Oleum amygdalarum dulcium et amararum ex Europa importatur.

Amygdalus Persica L. Persica vulgaris DC. Prodr. II. 531. *Pessegueiro.*

In prov. Minarum et S. Pauli regionibus temperatis, in Rio Grande do Sul, in Paraguaria et Monte Video maxima copia nunc quasi sponte provenit. Fructus exsiccati commercio exportantur et putamina multam materiem praebent, e qua oleum hydrocyanicum eliciatur.

APPENDIX.

TINGENTIA.

Flavo-tingentia.

BROMELIACEAE.

Billbergia tinctoria Mart. *Gravatá* v. *Abacaxí de tingir* Bras. R. Schult. S. Veg. VI. 1256. E radice color flavus elicitur. Bromelia tinctoria Mart. Reise II. 554.

AMOMEAE.

Curcumae longae L. Radix. *Açafrão da India.* Supra 106.

ARTOCARPEAE.

Broussonetia. *Tatay-y* Guaranitice Dobrizhof. Hist. Abipon. I. 416. *Tagoa-üva* (i. e. lignum flavum), *Tata-üva, Tata-iba* Tupin. *Tatagiba*, *Tapagiba*, *Tavagiba*, *Tajuba*, *Taúba* Bras. *Amoreira, Espinheiro*, *Fustete* Lusit. *Fustic* Angl. *Stochvishoudt* Batav. *Gelbholz* Germ.

Broussonetia tinctoria Mart. Herb. Fl. Bras. n. 435. Morus tinctoria Mill. Vell. X. t. 22.? *Tataiba* Piso II. 163. Marcg. 119. Lib. Princ. 349.

Broussonetia Xanthoxylon Mart. l. c. 435 (1). Morus Xanthoxylon Mill. Broussonetia tinctoria β Kunth. Nov. Gen. II. 32. Morus Tataiba Vell. X. t. 21.

Broussonetia brasiliensis Mart. l. c. 435 (2).

Species hae diversae lignum flavum suppeditant materie colorante diversa quantitate pollens, ideo *Espinheiro amarello*, *branco* et *bravo* audiunt.

BIXINEAE.

Bixa Orellana L. DC. Prodr. I. 259. *Urucuy* Guaranitice Dobrizh. Abip. I. 439. *Urucu-üva* Tupin.

Seminum pigmentum *Achiotte*, *Atole*, *Achiat*, *Rocú*, *Urucú*, *Arnotta*, *Arnotte*, *Annatto*, *Anotte*, *Orellana* apud varias gentes dictum, *Orlean* germanice, aurantiaco colore tingit. Semina, quae interdum nomine S. *Unacu* vel *Uanacú* in foro veniunt, a nonnullis medicis scopo adstringente, cardiaco, antifebrili commendantur.

Bixa Urucurana W. DC. l. c. quasi Urucú fera, in regione amazonica crescens, semina minoris pretii offert.

ONAGRARIAE.

Jussieua pilosa Kunth. Nov. Gen. VI. 80 t. 532 (Pará, Rio Negro).

Herba et fructus semimaturi aqua macerata materiam flavo-tingentem praebent.

Rubro et badio-tingentia.

LICHENES.

Parmelia Roccella Ach. *Ervinha, Hervinha secca* Lusit. Eschweiler in Mart. Fl. Bras. I. 219. Roccella tinctoria Ach.

Ad scopulos maritimos passim provenit plantula, e qua *Lacca Musci* s. *Lacca Musica* paratur. Cfr. Mart. Reise I. 85 de ejus historia.

BIGNONIACEAE.

Bignonia Chica Humb. Pl. Aequ. I. 107 t. 31. *Piranga* Tupin.

E foliis hujus fruticis in provinciis aequatorialibus crescentis, aqua maceratis, fit Pasta *Carajurú* v. *Chica* s. Vermeillon ameri-

canum. Infusionem tam foliorum quam illius materiae tingentis contra profluvia cruenta et impetigines Indiani secundum Amazonum fluvium habitantes, nescio, quo effectu, propinare solent.

RUTACEAE.

Psychotria Simira Röm. Schult. *Simira* Caraibice.
DC. Prodr. IV. 509 n. 51. Simira tinctoria Aubl. Guj. I. 170 t. 65.
Cortex rubro tingit.

MELIACEAE.

Trichilia Catigoá S. Hil. Fl. Bras. mer. II. 77. *Caá-tiguá* Bras.

Cortex, qui *Achite* Abiponibus audit, aquis immersus ruborem, sed pallidum, rebus imprimit, coriis dum macerantur, maxime: Dobrizhof. Hist. Abipon. I. 448.

LEGUMINOSAE.

Melanoxylon Braúna Schott. *Barahúna*, *Maria preta* Bras.
Schott. in Spreng. S. V. Cur. post 406. Perittium ferrugineum Vogel in Linnaea XI. 408.

Arboris sylvestris vastae lignum et cortex scatent materia rubro-fusco tingente.

Caesalpinia echinata L. *Páo Brazil* v. *Rozado*. Supra 54.

Lignum Brasilum s. Fernambuci Off., cui materia rubro-colorans sui generis inest, *Brasilinium*, egregium fucum subministrat, rubrum et addita aqua calcis violaceum, ferro muriatico obscure fuscum. — Aliae plures adsunt arbores, uti *Arariba* (Marcg. 106), *Páo roxo*, *Páo de Rosa*, ex ordine praesertim Leguminosarum, quae ad rubro tingendum inserviunt. *Merendiba* rubro-violaceo colore insignis dicitur.

Caeruleo-tingentia.

LEGUMINOSAE.

Indigofera tinctoria L. DC. Prodr. II. 224 n. 32. *Erva Anil*, *Guajana timbó* Lib. Princ. 431.

TABULA CONCORS

PLANTARUM

QUAE USU MEDICO NUNCUPANTUR

IN

EUROPA.	BRASILIA.
PLANTAE INTEGRAE CRYPTOGAMAE.	
Helminthochorton Off. Sphaerococcus Helminthochorton.	
Lichen islandicus. Cetraria islandica.	— Cladonia sanguinea, neglecta et aliae.
Laccae musicae pigmentum. Parmelia Roccella.	= Parmelia Roccella.
Agaricus Chirurgorum. Polyporus igniarius et fomentarius.	
RADICES ET BULBI.	
Rad. Acori Off. Acorus Calamus.	— Rad. Kyllingae odoratae, Remireae maritimae, Hypopori nutantis. + „ Alpiniae aromaticae, Paco Serocae.
Bulb. Allii. Allium sativum.	= Allium sativum.
Rad. Althaeae. Althaea officinalis.	Fol. Bauhiniarum, Hb. Scopariae dulcis, Sidarum, Waltheriae Douradinhae etc.
„ *Angelicae.* Archangelica officinalis.	Rad. Guettardae Angelicae, Piperis Parthenii etc.
„ *Ari.* Arum maculatum.	„ Dracontii polyphylli.

Rad. *Aristolochiae clematidis.*	Rad. Aristolochiae antihystericae.
„ „ *longae.*	„ „ galeatae.
„ „ *rotundae.*	„ „ brasiliensis.
„ „ *Pistolochiae.*	„ „ rumicifoliae.
„ *Armoraciae.* Cochlearia Armoraciae.	= Rad. Cochleariae Armoraciae. Herba Monsterae Adansonii et aliarum Aroidearum.
„ *Arnicae.* Arnica montana.	Rad. et Hb. Eupatorii Ayapanae, Mikaniae opiferae.
„ *Artemisiae.* Artemisia vulgaris.	Rad. Elephantopod. Martii. Hb. Baccharid. tripterae etc.
„ *Asari.* Asarum europaeum.	„ Dorsteniae arifoliae rel. +
„ *Astragali.* Astragalus exscapus.	Cort. Cybistacis antisyphiliticae cum Herreria Salsaparilha combinatus?
„ *Bardanae.* Lappa major, minor, tomentosa.	Rad. Elephantopod. Martii. Gomphrenae officinalis?
„ *Belladonnae.* Atropa Belladon.	
„ *Bistortae.* Polygonum Bistorta.	Hb. Polygoni acetosaefolii. Cort. Rad. Erythroxyli.
„ *Brusci.* Ruscus aculeatus.	Rad. et Stip. Smilacis Japicangae, brasiliensis etc.
„ *Bryoniae albae.*	Rad. Trianospermae ficifoliae rel.
„ *Caapeba.* Cissampelos.	= Cissampelos glaberrima, ebracteata, ovalifolia.
„ *Calaguala.* Polypodium Calaguala.	Rhizoma Pteridis arachnoideae, Polypodii percussi, sepulti, Alsophilae armatae.
„ *Caricis arenariae.* Carex arenariae.	Rad. Remireae maritimae.
„ *Cartopatiae.* Carlina acaulis.	„ Baccharidis articulatae. Herb. Acanthospermi. R. Gomphrenae officinalis.
„ *Caryophyllatae.* Geum urbanum.	„ Bidentis pilosae, leucanthae? + Dorsteniae opiferae rel.
„ *Chinae.* Smilax China.	„ Smilacis syringoidis.
„ *Cichorei.* Cichorium Intybus.	
„ *Colchici.* Colchicum autumnale.	

Rad. Colombo. Cocculus palmatus.	Lign. Cocculi platyphyllae, Martii, cinerascentis. Rad. Cocculi Filipendulae.
„ *Consolidae majoris.* Symphytum officinale.	Rad. Echii plantaginei, Hb. Tiaridii indici. Hb. Cuscutae.
„ *Contrajervae.* Dorstenia Contrayerba.	„ Dorsteniae brasiliensis, bryoniaefoliae rel.
„ *Curcumae.* Curcuma longa.	= Curcuma longa.
„ *Cyperi longi.* Cyperus long.	Rad. Hypopori nutantis, Cyperorum.
„ *Cyperi rotundi.* Cyperus offic.	„ Kyllingae odoratae.
„ *Dictamni.* Dictamnus albus.	Monnieriae trifoliae Hb. et Rad.
„ *Enulae campanae.* Inula Helenium.	Rad. et Hb. Trixis antimenorrhoeae.
„ *Eryngii.* Eryngium campestre.	Rad. Eryngii linguae Tucani.
„ *Filicis.* Nephrodium Filix mas.	„ Polypodii percussi.
„ *Galangae.* Kaempferia Galanga.	„ Alpiniae nutantis.
„ *Gentianae.* Gentiana lutea, pannonica.	„ Tachiae gujanensis, Lisianthi penduli, amplissimi, Cutubeae densiflorae.
„ *Graminis.* Triticum repens.	„ Anatheri bicornis, Stenotaphri glabri, Gynerii saccharoidis. Mellago Sacchari off.
„ *Hellebori albi.* Veratr. alb.	
„ *Hellebori nigri.* Hellebor. niger.	„ Euphorbia papillosa? Adenoropium ellipticum?
„ *Hirundinariae.* Cynanchum Vincetoxicum.	„ Echites alexicaca, pastorum rad.; Allamandae Schottii cort.
„ *Jalappae.* Convolvulus Purga etc.	„ Piptostegiae Gomesii et Pisonis.
„ *Imperatoriae.* Imperatoria Ostruthium.	„ Ottoniae Anisi cum R. Dorsteniae combinando.
„ *Ipecacuanhae fuscae.* Cephaëlis Ipecacuanha.	= Cephaëlis Ipecacuanha; Borreria Poaya, ferruginea; Manettia cordifolia rel.; Richardsonia emetica, scabra.
„ *Ipecacuanhae albae.*	= Jonidium Ipecacuanha; I. Poaya, brevicaule, urticaefolium.
„ *Iridis florentinae.* Iris florentina.	Canna glauca, aurantiaca, edulis.

Rad. Lapathi acuti. Rumex Nemolapathum.	Sagittaria brasiliensis. Rad. tuberosa Begoniacearum. Polygonum sagittaefolium, Erythroxylon suberosum et tortuosum.
„ *Liquiritiae.* Glycyrrhiza glabra.	Periandrae dulcis R.
„ *Ononidis.* Ononis spinosa.	Cort. Bowdichiae majoris. R. Guilandinae Bonduc. — Hb. Verbenae jamaic. Boerhaviae hirsutae?
„ *Ophiorrhizae.* Ophiorrhiza Mungos.	Rad. et Hb. Palicureae densiflorae, R. Declieuxiae Aristolochiae, Chiococcae anguifugae rel.
„ *Pareirae bravae.*	Lign. Cocculi cinerascentis, Abutae rufescentis.
„ *Petroselini.* Petroselinum sativum	In prov. australibus colitur.
„ *Pimpinellae.* Pimpinella magna, Saxifraga.	Rad. Piperis sidaefolii, peltati rel.
„ *Plumbaginis.* Plumbago europaea.	Plumbago scandens. Scopo epispastico Hb. Aroidearum.
„ *Polygalae.* Polygala amara.	Rad. Callopismatis. Cort. Hancorniae pubescentis, Habsburgiae comantis, addita rad. Anchieteae salutaris?
„ *Pyrethri.* Anacyclus Pyrethrum.	„ Piperis unguiculati, nodulosi, eucalyptifol. Hb. Bidentis graveolentis, Spilanthis oleraceae rel.
„ *Ratanhia.* Krameria triandra.	Krameria argentea etc. Cort. Chrysophylli Buranhem.
„ *Rhei.* Rheum palmatum etc.	
„ *Rubiae.* Rubia tinctorum.	
„ *Salep.* Orchis mascula, Morio etc.	Faecula e radice Manihot et aliae.
„ *Saponariae.* Saponaria officinalis.	Scopo smegmatico: fructus Sapindi divaricati. Scopo resolvente Hb. Polygoni acetosaefolii.
„ *Salsaparilha lisbon.* Smilax papyracea.	= Smilax papyracea.

Rad. Sarsaparilla hondurens. Smilax medica.	Smilax officinalis.
,, *Scillae.* Scilla marit.	Rad. Amaryllidum, Ferrar.
,, *Senega.* Polygala Senega.	,, Anchieteae salutaris et R. Franciscea uniflorae scopo resolvente. R. Aristolochiarum scopo antidotali.
,, *Serpentariae virginianae.* Aristolochia Serpentaria.	Aristolochia macroura, cymbifera, theriaca.
,, *Spigeliae anthemiae.* Spigelia Anthemia.	Spigelia glabrata.
,, *Taraxaci.* Leontodon Taraxacum.	
,, *Tormentillae.* Potentilla Tormentilla.	Cort. Chrysophylli Buranhem, Rolliniae salicifoliae, Rhizophorae Mangles et multarum stryphno pollentium.
,, *Valerianae sylvestris.* Valeriana officinalis.	Valeriana scandens rel.?
,, *Zingiberis.* Zingiber officinale.	= Zingiber officinale.
,, *Stipites Dulcamarae.* Solanum Dulcamara.	— Hb. Solani oleracei, cernui, paniculati, Caavuranae.
,, *et Lignum Guajaci.* Guajacum officinale.	
,, ,, ,, *Juniperi.* Juniperus communis.	
,, ,, ,, *Quassiae.* Picraena excelsa.	Rad. Quassiae amarae. Cort. Picramniae ciliatae, Cestri Pseudoquinae, Strychni Pseudoquinae.
,, ,, ,, *Sassafras.* Sassafras officinale.	Mespilodaphnes pretiosae cort.
,, *Visci quercini.* Viscum album.	Lign. et fol. Struthanthi citricolae.

CORTICES.

Cortex Angosturae. Galipea Cusparia.	Ct. Esenbeckiae febrifugae, intermediae.
,, ,, ,, officinalis.	Ticoreae febrifugae, Simabae ferrugin.
,, *Aurantiorum.* Citrus Aurant.	= Citrus Aurantium.

Cort. Cascarillae. Croton Eluteria.	Mabea fistuligera. Solanum Pseudoquina, Discaria febrifuga.
„ *Cassia,* vel *Cassia lignea.* Cinnamomum zeylanicum var. Cassia.	= Cinnamomum zeylanicum γ. Cassia.
„ *Chinae flavae.* Cinchona lancifolia, nitida.	— Cinchona Lambertiana, macrocnemia, firmula, Bergeniana.
„ *Chinae fuscae.* C. scrobiculata, Condaminea, micrantha.	— „ cujabensis, ferruginea, Remijiana, cujabensis, Vellosii.
„ *Chinae rubrae.* — —?	Buena hexandra.
„ *China nova.* Cinch. magnifolia.	Exostema Souzanum, cuspidatum, formosum etc.
„ *Canellae albae.* Canella alba.	Cinnamodendron axillare. — Melia Azedarach?
„ *Frangulae.* Rhamnus Frangula.	Cort. Zizyphi Joazeiro, Hancorniae pubescentis, + Guareae purgantis et aliarum Meliacearum; Simarubae versicoloris.
„ *Geoffroyae.* Geoffraea surinamensis.	Geoffraea spinosa. Andira anthelmintica, vermifuga rel.
„ *Granatorum* (radicis). Punica Granatum.	= Punica Granatum.
„ *Guajaci.* Guajacum officinale.	
„ *Hippocastani.* Aesculus Hippocastanum.	Schinus terebinthifolius rel. Casearia adstringens, Erythroxylon suberosum, tortuosum.
„ *Mezerei.* Daphne Mezereum.	Hb. et Rd. Plumbaginis scandentis, Petiveriae tetrandrae, Aroidearum (scopo epispastico).
„ *Quercus.* Quercus Robur.	Bowdichia major, Acacia Angico, Jurema, Stryphnodendron Barbatimâo.
„ *Salicis.* Salix alba.	Avicennia nitida, Rhizophora Mangle. Chrysophyllum Buranhem?
„ *Sassafras.* Sassafras officinale.	Nectandra Cymbarum, Mespilodaphne pretiosa.
„ *Simarubae.* Simaruba officinalis.	= Simaruba officinalis.

Cort. Ulmi interior. Ulmus campestris.	Symplocos platyphylla. Laguncularia racemosa, Cybianthus detergens. Broussonetiae?
„ *Winteranus.* Drimys Winteri.	— Drimys granatensis.

FOLIA ET HERBAE.

Herb. Abrotani. Artemisia Abrotanum.	Herb. Chenopodii ambrosioidis, Plucheae Quitoc, Tagetis glanduliferae.
„ *Absinthii* Artemisia Absinthium.	Baccharis triptera, Gaudichaudiana, articulata.
„ *Acetosae.* Rumex Acet., scutat.	Begonia acida, acetosa rel. Costus.
„ *Aconiti.* Aconitum Napellus, Cammarum rel.	Fol. Palicureae diureticae, officinalis, Marcgravii. Sparattosperma lithontripticum.
„ *Althaeae.* Althaea officinalis.	Hb. Triumfettae, Sidae carpinifoliae, multiflorae rel.
Fol. Aurantiorum. Citrus Aurantium.	= Citrus Aurantium.
Herb. Basilici. Ocimum Basilicum.	= O. Basilicum, gratissimum.
„ *Belladonnae.* Atropa Belladonna.	
„ *Cardui benedicti.* Cnicus benedictus.	Hb. Baccharidum, Rd. Trixis antimenorrhoeae + Cort. Discariae febrifugae.
„ *Centaurii min.* Erythraea Centaurium.	Callopisma perfoliatum, amplexifolium.
„ *Cerefolii.* Anthriscus Cerefolium.	= passim Anth. Cerefolium colitur.
„ *Chenopod. ambros.* Chenopod. ambrosioid.	= Chenopodium ambrosioides.
„ *Cichorei.* Cichorium Intybus.	
„ *Cicuta.* Conium maculatum.	
„ *Convolvuli marini.* Convolvulus Soldanella.	Ipomoea maritima.
„ *Coronopi.* Senebiera Coronopus.	Senebiera pinnatifida.
„ *Cuscutae.* Cuscuta europaea, Epithymum.	C. umbellata, racemosa, miniata.
„ *Digitalis.* Digitalis purpurea.	Palicurea officinalis? + Franciscea uniflora, Cephaëlis ruelliaefolia, Paullinia pinnata?

Herb. Farfarae. Tussilago Farfara.	Hb. Ecliptae erectae, Scopariae dulcis. Fr. Guazumae ulmifoliae. Gemmae Cecropiae, Succus Cereorum.
„ *Gratiolae.* Gratiola officinalis.	Vandelliae diffusae Hb.
„ *Hyoscyami.* Hyoscyamus niger, albus.	= Hyoscyamus niger et albus.
„ *Jaceae.* Viola tricolor.	Hb. Anchieteae salutaris, Jonidii Ipecacuanha rel.
„ *Lactucae.* Lactuca virosa.	
Fol. Lauri. Laurus nobilis.	Fol. Perseae gratissimae, Nectandrae.
„ *Lauro-Cerasi.* Prunus laurocerasus.	= Prunus Laurocer. et Pr. brasil., sphaerocarpa.
Herb. Lythri Salicariae. Lythrum Salicaria.	Hb. Cupheae ingratae, Balsamonae, Oenotherae affinis.
„ *Majorana.* Majorana hortensis.	Glechon spatulatus, Ocimum incanesc.
„ *Malvae.* Malva rotundifolia, sylvestris.	Urena lobata, sinuata, Waltheriae rel.
„ *Marrubii.* Marrubium vulgare.	Cunila microcephala, Hyptis fasciculata, Leucas martinicensis
„ *Meliloti.* Melilotus offic.	+ Cassia falcata, occidentalis.
„ *Meliloti coeruleae.* Melilotus (Trigonella) coerulea	+ Sem. Dipteridis odoratae.
„ *Melissae officinalis.*	Hyptis spicata, graveolens, umbrosa rl.
„ *Menthae crispae.*	Marsypianthes hyptoides, Lantana. Pseudothea, microphylla.
„ *Menthae piperitae.*	Hyptis suaveolens, Aeolanthus suavis.
„ *Mesembryanthemi.* M. crystal.	Portulaca pilosa, radicans, Talinum patens, Kalanchoë brasiliens.
Fol. Myrti. Myrtus communis.	= Myrti et Eugeniae plures, uti Eug. depauperata, variabilis, xanthocarpa.
Herb. Nasturtii. Nasturtium officin.	= Nasturtium officinale.
„ *Nicotianae.* Nicotiana Tabacum.	= Nicotiana Tabacum, N. Langsdorffii.
„ *Oxalidis.* Oxalidis Acetosellae.	Oxalis repens, Barrelieri, Martiana rl.
„ *Parietariae.* Parietaria erecta.	Fol. Boehmeriae caudatae. Hb. Pileae mucosae, Gemmae Cecropiae.

Herb. Petroselini. Petrosel. sativum.	= Passim colitur. Hydrocotyle bonar.
,, *Phytolaccae.* Phytolacca dec.	= Phytolacca decandra.
,, *Pulegii.* Mentha Pulegium.	Cunila microcephala.
,, *Pulmonariae.* Pulmon. officin.	Tiaridium indicum, elongatum.
,, *Rhododendri chrysanthi.* Rhod. chrysanthum.	Fol. Gaylussaciae aliarumque Ericearum in prov. Minarum crescentium?
,, *Rutae.* Ruta officinalis.	Passim colitur in prov. meridionalibus. Rd. Monnieriae trifoliae.
,, *Salviae.* Salvia officinalis.	Lippia citrata, Hyptides variae.
,, *Satureja.* Satureja hortensis.	Ocimum miranthum, Aeolanthus suavis.
,, *Sennae.* Cassia lanceolata, obovata rel.	C. cathartica, laevigata, occidentalis, sericea, falcata rel.
,, *Serpylli.* Thymus Serpyllum.	Hyptides variae.
,, *Spigeliae.* Spigelia anthemia.	Spigelia glabrata.
,, *Spilanthis Acmellae.*	Spilanthes oleracea, radicans.
,, *Stramonii.* Datura Stramonium.	= Datura Stramonium.
,, *Taraxaci.* Leontodon Taraxac.	
,, *Teucrii Scordii.*	Leonotis nepetaefolia, Marsypianthes.
,, *Theae sin.* Thea Bohea, viridis.	= Thea Bohea, viridis, Ilex paraguariensis et aliae.
Fol. Toxicodendri. Rhus Toxicodendron.	Hb. et Succus Sapii aucuparii, Aroidearum.
Herb. Trifolii febrini. Menyanthes trifoliata.	Ct. Picramniae ciliat., Valleziae. Rd. et Hb. Lisianth. Hb. Cutubeae.
,, *Urticae dioicae, urentis.*	Urtica caravell., baccif., Cnidoscoli sp.
,, *Uvae Ursi.* Arctostaphylus offic.	+ Cort. Guarearum, Fol. Palicureae.
,, *Verbasci.* Verbascum Thapsus.	Buddleja brasiliensis.
,, *Xanthii.* Xanthium Strumarium.	X. macrocarpum, brachyacanthum.

INFLORESCENTIAE, FLORES ET ILLORUM PARTES.

Flor. Alceae roseae. Althaea rosea.	Kielmeyer. roseae, specios., Helicteris.
,, *Arnicae.* Arnica montana.	Solidago vulneraria.
,, *Aurantiorum.* Citrus Aurantium.	= Citrus Aurantium.
,, *Balaustiorum.* Punica Granatum.	= Punica Granatum.
,, *Basilici.* Ocimum Basilicum.	= Ocimum Basilicum.
Capitula (semina dicta) *Cinae* vel *Santonici*, Artemisia Sieberi, paucifl., Lercheana rel.	— Tagetes glandulifera +. Semina Andirae.

Flor. Caryophyllorum. Caryophyllus aromaticus.	= Caryophyllus aromaticus.
„ *Chamomillae romanae.* Anthemis nobilis.	Hb. Conoclinii prasiifolii, Agerati conyzoidis.
„ *Chamomillae vulgaris.* Matricaria Chamomilla.	„ Plucheae Quitoc.
„ *Citri Aurantii.* Citrus Aurant.	= Citrus Aurantium.
„ *Hyperici.* Hypericum perforat.	Hypericum connatum et laxiusculum.
„ *Lavandulae.* Lavandula vera.	
„ *Lupuli salictarii.* Humulus Lupulus.	
„ *Primulae veris.*	Hb. Turnerae opiferae. Fl. Lantanae aculeatae rel.
„ *Rhoeados.*	Hb. et Fl. Cestrorum? Fl. Poincianae pulcherrimae, Argemones?
„ *Rosarum rubrarum.* Rosa gallica, centifolia.	— Petala Kielmeyerae roseae, Helicteris ovatae, corylifoliae, brevispirae, Vuarame quoad partes mucilaginosas et adstringentes.
„ *Rorismarini.* Rosmarinus offic.	Baccharis ochracea et Labiatae variae.
„ *Sambuci.* Sambucus nigra.	Sambucus australis.
„ *Tiliae.* Tilia grandifolia et parvifolia.	Fl. Triumfettae. + Fl. Acaciae Farnesianae.
„ *Verbasci.* Verbascum Thapsus.	Fl. Buddlejae brasiliensis, Lantanae aculeatae, Cammarae rel.
„ *Violarum.* Viola odorata.	„ Jonidii Ipecacuanhae, Anchieteae.
Stigmata Croci. Crocus sativus.	

FRUCTUS.

Fr. Anisi Stellati. Illicium anisatum.	Cortex Drimys granatensis, Cinnamodendri axillaris.
„ *Aurantiorum.* Citrus Aurantium.	= Citrus Aurantium.
„ *Citri.* Citrus medica.	= Citrus medica.
„ *Juglandum (nucum Cortex).* Juglans regia.	Folia et liber Mangiferae indicae, Spondiae venulosae.
Galbuli Juniperi (Baccae). Juniperus communis.	

Fr. (Baccae et *Oleum) Lauri.* Laurus nobilis.	Sebum Myristicae officinalis, Butyrum Cacao.
„ *(Baccae) Mororum.* Morus nigra.	Rubi, Baccae Cereorum, Spondiae.
„ *Papaveris (capita).* Papaver somniferum.	
„ *(Nuces) Pineae.* Pinus Pineae.	Nuc. Araucariae brasilianae.
Piper aethiopicum. Habzelia aethiopica.	Xylopia frutescens, brasiliensis, grandiflora etc.
Piper caudatum. Piper Cubeba.	Amenta Piperis adunci. Rd. Ottoniae Anisi.
Piper hispanicum. Capsici spec.	= Capsici species.
Piper longum (amenta). Piper longum.	Amenta Piperis adunci et aliorum.
Piper nigrum. Piper nigrum.	= Piper nigrum.
Fr. Prunorum. Prunus domestica.	Amygdalus Persica.
„ *Ribium.* Ribes rubrum.	Fructus Passiflorarum, Eugeniae brasiliensis, uniflorae rel.
„ *Rubi Idaei.* Rubus Idaeus.	Rubus jamaicensis, brasiliensis.
„ *Sabadillae (Capsulae).* Schoenocaulon officinale.	Sem. Anonarum ?
„ *Sambuci (Baccae).* Sambuc. nigr.	Sambucus australis.
„ *Spinae cervinae (Baccae).* Rhamnus catharticus.	Cort. Guareae purgantis, Cabraliae Canjeranae; Zizyphi Joazeiro ?
Vanillae (Siliquae). Vanilla aromatica.	= Vanilla aromatica, Palmarum.
Pulpa Cassiae. Cassia Fistula.	Cassia brasiliana, sclerocarpa.
„ *Colocynthidum.* Citrullus Colocynthidum.	Pulpa Lagenariae vulgaris, Luffae drasticae et purgantis, Melothriae pendulae, Momordicae operculatae rel.
„ *Tamarindorum.* Tamarindus indica.	= Tamarindus indica.
Fr. (Sem.) Anisi. Pimpinella Anisum.	
„ „ *Carvi.* Carum Carvi.	
„ „ *Coriandri.* Coriandr. sativ.	
„ „ *Foeniculi.* Foenicul. vulg.	
„ „ *Phellandrii.* Phell. aquatic.	

SEMINA.

Sem. Amygdalarum (Nuclei). Amygdalus communis.	Quoad oleum pingue: Oenocarpus Bacaba, Elaeis guineensis et alia plura Palmarum semina, Bertholletiae, Caryocar.
,, *Cacao.* Theobroma Cacao.	= Theobroma Cacao.
,, *Cannabis.* Cannabis sativa.	In prov. australibus Coli potest.
,, *Cerasorum (Nuclei).* Prunus Avium.	Prunus sphaerocarpa, brasiliensis.
,, *Coffeae.* Coffea arabica.	= Coffea arabica.
,, *Colchici.* Colchicum autumnale.	
,, *Cydoniorum.* Cydonia vulgaris.	= Cydonia vulgaris.
,, *Hordei.* Hordeum vulgare.	
,, *Hyoscyami.* Hyoscyamus niger.	= Hyoscyamus niger.
,, *Lini.* Linum usitatissimum.	
Nuces moschatae et Macis. Myristica moschata.	= Myristica moschata.
Nuces vomicae. Strychnos Nux vomica.	Cort. Strychni gujanensis?
,, *Peponum.* Cucurbita Pepo.	= Cucurbita Pepo.
,, *Stramonii.* Datura Stramonium.	= Datura Stramonium.
,, *Tritici.* Triticum vulgare.	

EXCRESCENTIAE.

Secale cornutum. Secale Cereale.	
Gallae turcicae. Quercus Robus, pedunculata, pubescens.	Fructus immaturi Ilicis Macucú.
Gallae tuberosae. Quercus Robur, pedunculata, pubescens.	Cortices adstringentes varii.

FAECULAE AMYLACEAE.

Amylon. Triticum vulgare.	*Tapioca* e Manihot utilissima.
Sagu. Metroxylon Rumphii.	Faecula *Aro-Aro* (i. e. farina farinae Caraib.) e medulla Mauritiae flexuosae.

SUCCI INSPISSATI.

Aloë. Aloë vulgaris, soccotorina.	= Aloë vulgaris.
Catechu. Acacia Catechu.	Extr. Cort. Stryphnodendri Barbatimâo, Acaciae Angico rel.
Gambir. Nauclea Gambir.	Extr. fruct. immatur. Genipae brasiliens. Extr. Sem. Anonarum?
Kino gambiense. Drepanocarpus senegalensis.	Extr. Cort. Chrysophylli Buranhem.
Kino jamaicense. Coccoloba uvifera.	= Extr. fr. Coccolobae uviferae, crescentiaefolia.
Lactucarium. Lactuca sativa.	
Opium. Papaver somniferum.	
Resina elastica. Siphonia elastica.	= Siphonia elastica, rhytidocarpa.
Succus Liquiritiae. Glycyrrhiza glabra.	Extractum Rad. Periandrae dulcis.

SACCHARA.

Saccharum. Saccharum officinarum.	= Saccharum officinarum.
Manna calabrina. Fraxinus ornus.	

GUMMATA.

Gi. Acaju. Anacardium occidentale.	= Anarcardium occidentale, humile.
,, *arabicum.* Acacia vera, Seyal, arabica, gummifera.	Pithecollobium gummiferum.
,, *Tragacantha.* Astragalus gummifer, Tragacantha.	

RESINAE LIQUIDAE S. BALSAMA.

Bals. Copaivae. Copaifera gujanensis.	= Copaifera gujanensis et aliae plures.
,, *indicum s. peruvianum album.*	Humirium balsamiferum, floribundum.
,, *indicum* s. *peruvianum nigrum* Myrospermum peruiferum.	Bals. Capureicica
,, *Liquidambar.* Liquidambra Styraciflua.	Pamphiliae aureae lacrimae.
,, *Opobalsamum s. de Mecha.* Balsomodendron gileadense.	Bals. Tamacoaré.?

Terebinthina communis. Pinus sylvestris.	Araucaria brasiliana.
Terebinthina cypria. Pistacia Terebinthus.	Bursera leptophloeos.
Terebinthina veneta. Larix europaea.	Astronium concinnum, Schini sp., Calophyllum brasiliense.

RESINAE SICCAE.

Res. Anime.	Icica heptaphylla.
,, *Benzoës.* Styrax Benzoin.	Styrax reticulatum.
,, *Carana.* Icica Caraná.	Icica altissima.
,, *Copal.* Hymenaea Courbaril.	= Hymenaeae variae.
,, *Coumi.* Icica gujanensis.	= Icica gujanensis.
,, *Elemi.* Icica Icicariba.	= Icica Icicariba.
,, *Laccae.*	Succus exsiccatus Clusiarum etFicuum?
,, *Mastiches.* Pistacia Lentiscus.	Schinus antarthritica, molleoides rel.
,, *Sanguis Draconis.* Calamus Draco.	E nonnullis Crotonis speciebus fluit.
,, *Sandaraca.* Callitris quadrivalvis.	
,, *Storacis.* Styrax officinale.	Styrax ferrugineum rel.

GUMMIRESINAE.

Gires. Ammoniacum. Dorema Ammoniacum.	
,, *Asa foetida.* Ferula Asa foetida.	
,, *Bdellium.*	Res. Mangiferae indicae?
,, *Euphorbium.* Euphorbia officinarum.	— Euphorbia papillosa, Adenoropium opiferum.
,, *Galbanum.* Umbellifera?	
,, *Guajaci.* Guajacum officinale.	
,, *Gutta.* Hebradendron cambogioides.	Vismia gujanensis et aliae, Terminalia argentea.
,, *Myrrha.* Balsamodendron Myrrha.	
,, *Olibanum.* Boswellia serrata.	

Gires. Opoponax.	— Moronobeae coccineae Res. Mani?
,, *Sagapenum.*	
,, *Scammonium.* Convolvulus Scammonia.	Piptostegia Pisonis, Gomesii.

OLEA PINGUIA.

Ol Amygdalarum. Amygdalus communis.	Oenocarpus Bacaba et aliarum Palmarum nuclei.
,, *Lauri.* Laurus nobilis.	E variis Laurineis elici potest.
,, *Sem. Lini.* Linum usitatissimum.	Sesamum orientale.
,, *Olivarum.* Olea europaea.	
,, *Palmarum.* Elaeis guineensis.	= Elaeis guineensis.
,, *Ricini.* Ricinus communis.	= Ricinus communis et alii.
Balsamum Nucistae. Myristica moschata.	Myristica officinalis, sebifera.
Butyrum Cacao. Theobroma Cacao.	= Theobroma Cacao.

(Olea aetherea, utpote quae non pressione solum sed destillatione eliciuntur, hic omittuntur. Multa eaque egregia praebet Flora Brasiliensis, plantarum aromaticarum ditissima.)

In hac comparativa oppositione potissimum remediorum efficaciam respeximus, deinde plantarum partes, quae materias efficaces continent, denique plantarum ordinem. Non est, quod adjiciam, ibi modo ubi eaedem plantae in pari loco utriusque lateris appareant, perfectam efficaciae similitudinem esse statuendam. Analogae plantae saepe cum primaria efficacia alias simul in se conjungunt, quae comparatam cui illa plantam deficiunt. In qua conditione altera substituta auxiliandum foret. Plures, quas hic sibi compares nominavimus, non exemtae sunt a dubitatione, easque signo ? distinxi. Illas vero, quae primaria sua efficacia superant Europaeas, signo +, quae his inferiores sunt, signo — ornavi. Progredienti experientiae praxeos medicae atque latiori chemicarum inquisitionum propagationi relictum est, ut has tabulas et emendet et compleat.

INDEX
NOMINUM PLANTARUM.

Nomina systematica litteris, quas antiquas dicunt, scripta sunt, nomina lusitanica, brasilica, tupica, guaranitica etc. *italicis*. Synonyma recensentur solummodo Linnaeana atque ea, quae in scriptis Pisonis, Marcgravii et in Libro Principis habentur.

Addenda et Emendanda.

Pag. xxvi lin. 18 adde 114 — 118.

P. xxvi l. 19 pro 110 l. 119.

P. 2 l. 20 adde:

Colocasia esculenta Schott. *Tayá*, *Tajaz*, *Tajabussú* (et passim *Inhame*) Bras.

Caladium esculentum Vent. Arum esculentum Vell. IX. t. 106.

P. 15 l. 10 et p. 39 l. 22 pro Cassuvieae lege Anacardiaceae.

P. 25 l. 7 pro pentium lege gentium.

P. 37 l. 7 adde: De Discariae febrifugae analysi chemica conferatur Reuss, in Kastners Archiv. VIII. 251 — 279 et in Buchners Repertorium L. 210, LII. 71. Planta ibidem Colletia spinosa nominatur et materia sui generis ex ejus cortice elicita dicitur *Colletinum*, cui quidem nomini erit *Discarinum* substituendum.

P. 44 ad Ageratum conyzoides addatur:

Camara-apeba Lib. Princ. 343. — *Fumo bravo* v. *Suaçuaia* Mart. Reise I. 281 n. 13.